



Lusitani de ratione vict.
1594












1089/A
Voynich
May 03

DE



DE



Dupt. 8. 10.

LIBER DE RATIONE VICTVS IN SINGVLIS FEBRIBVS

secundùm Hippoc. Brudo Lusitano autore ad Anglos.

VERTE PAGELLAM CONTENTO-rum series sese offerret.

οὐ βλάπτει, αὐτὰρ τοὺς ναυτίλλοντας ἐγείρει

Τῆς σοφίας πέρατον θαρσαλέως πελάγη.



VENETIIS, M. D. XLIIII.

Ex libris Alexandri Corij ...



T SINGVLA que in hoc cõtinentur opuſculo facile inueniri poſſint in libros tres hanc de victu ſpeculationem partiti ſumus in primo de forma victus loquemur. In ſecunda de quantitate & qualitate victus & de numero & hora adminiſtrationis agemus. In tertio ſingulis febribus conuenientem victum inueſtigabimus cui adiecta eſt victus ratio ſecundum ſymptomatum naturam.

PRIMÆ PARTIS.

Cap. i.

Diſceptationem continet, an craſſo victu alendi ſint acute febricitantes. Vt arbitratus eſt petrona.

Cap. ij.

Quod tenui victu alendi ſunt acute febricitantes iuxta rationalium medicorum ſententiam.

Cap. iij.

Oſtendit quid per craſſum, tenuem, exacte tenuem, tenuiſſimum, vltimo tenuiſſimum, victum Hip. intelligat.

Cap. iiij.

Oſtendit qualiter ſint intelligendę craſſi, ſymetri, & tenuis victus notiones quas Gal. primo apho. aſſignauit.

Cap. v.

Locum citat Galeni à quo oſtenditur qualiter intelligẽda ſit tenuis victus ratio ἡ δὲ καθεξροῦσα λεπτὴ.

Cap. vi.

An victus forma à robore virtutis & à diſtantia ſta

tus sumenda sit.

Cap. vij.

Rationes eorum qui à constitutione morbi, & à robore virtutis, victus formam sumendam esse opinantur.

Cap. viij.

Quod in multis locis Hip. secundæ positioni consentit in inuestigatione formæ victus.

Cap. ix.

Non satis esse ad rectam formæ victus inuentionem, virtutis robur, & morbi constitutionem considerare, sed ijs præcognitionem status adiungendam esse.

Cap. x.

Iuxta status distantiam, singulis morborum acutorum conuenientem elicere victus formam docet.

Cap. xi.

An medico liceat quatuor dierum abstinentiam febricitantibus aliquando consulere.

Cap. xij.

Virtutis imbecillitas præsens. & quæ in posterum futura erit, à quibus sit cognoscenda.

Cap. xiij.

Quo nam signo discernatur morbus qui ad quartum terminari debeat.

Cap. xiiij.

Acuti morbi quo maxime deprehēdantur signo, & quę nam sit acutarum febrium leuissima, & quem habeat terminum.

Cap. xv.

À quibus signis, morbum ad septimum & ad vndeci-

mum terminandum fore ſciamus.

Cap. xvi.

Parum referre ad rectam formæ victus inuentionem, an terminus diebus intermedijs accidat.

Cap. xvij.

Quæ nam febres intra quartum, & quæ intra ſeptimũ, vndecimum, & quartumdecimum terminentur.

Cap. xviij.

An à ſtatu vel à criſe vel à termino vniuſcuiuſq; morbi quem à ſymptomatibus ſumẽdum diximus victus ratio ſumenda ſit.

Cap. xix.

Tempora morborum tripliciter diſtingui.

Cap. xx.

Quottupliciter ab Hip. *criſis nomen accipiatur & tres eſſe ſymptomatum primas cauſas.*

Cap. xxi.

De qua ſtatus acceptione intelligendus ſit aphoriſmus contemplari igitur oportet ægrotantem ſi ſufficiat cũ victu ad ſtatum ægritudinis &c.

Cap. xxij.

Quod in ijs ſymptomatibus quæ morbum inſequuntur cum ad maximam perueniunt magnitudinem ſtatum eſſe intelligere oportet.

Cap. xxiij.

Quod cum duo ſint quæ incremento ſymptomatum finem imponant, nempe vltimum reſiſtentiæ naturæ, & perfectæ morbi coctiones, terminum non à coctione ſed à robore virtutis & ſymptomatum magnitudine

accipiendum fore ostendit. À quibus ultimum resi=stentiæ accipitur naturæ.

Cap. xxiiij.

Quod primus Hip. post assiduas obseruationes iuxta symptomatum differentias in singulis morbis termi=nos hoc est ultimum resistentiæ naturæ diffiniuit.

Cap. xxv.

Statum à quo victus formam inuestigandam docuit Hip. in apho. contemplari igitur oportet &c. terminũ esse ad quem usque laborantis virtus morbi acumẽ ci=tra aliquam quatuor crisium ferre possit.

Cap. xxvi.

Quod victus ratio conualituris pariter & morituris adhibenda sit.

Cap. xxvij.

Quod duæ aliæ sint morborum constitutiones quæ vi=ctus rationem valde dissimilem à iam dicta exposcãt.

Cap. xxviij.

In morbis ijs qui ab initio statim florent & vigent non à distantia status, sed à coctione morbi victus ratio=nem sumendam esse ostendit.

Cap. xxix.

Quottupliciter virtus vrgeat & signa per que virtu=tem maxime, multum, & parum vrgentem dignoscere possimus.

Cap. xxx.

Quottupliciter morbus vrgeat.

Cap. xxxi.

Continet tabellam qua facile quiuis in singulis morbis

conuenientem victus formam inuenire possit.

LIBRI SECVNDI.

Cap. i.
A quibus quantitas victus sumatur.
Cap. ij.
An melius sit ad id quod magis est accedere quàm ad minus vbi à iusto modo sit abscedendum.
Cap. iij.
An forma victus seruanda sit à morbi initio ad statum vsque & quantitas mutanda an econtra.
Cap. iiij.
A quibus numerus oblationis cibi sumatur.
Cap. v.
A quibus sumatur qualis victus febricitātibus sit exhibendus.
Cap. vi.
An victus, affectum & eius causam respicere debeat.
Cap. vij.
An victus opponi debeat intemperiei simili gradu contrariæ qualitatis.
Cap. viij.
A tribus qualitas victus sumitur.
Cap. ix.
A quibus sumitur quando exhibere cibum febricitantibus debeamus.
Cap. x.
Eorumque quæ de ptisana Hip. scripsit nonnulla sunt aliis

cibarijs cõmunia & aliqua ptisanæ peculiaria

Cap. xi.

Vbi mulsa vbi oximelite vtendum sit.

Cap. xij.

À quibus ratio potus qui ægrotantibus ministrandus sit sumatur.

Cap. xiij.

Quod lusitani medici & hispani methodum Hip. in administratione victus non insequantur.

Cap. xiiij.

Minoratiuam euacuationem quæ per pharmacum fit non esse semper administrandam in initiis febrium putridarum.

Cap. xv.

Qui inter initia morborum, tenui magis victu vtuntur, cum'que prope statum peruentum est solidiori, in dãnum ægrotantium grauiter peccant.

Cap. xvi.

Victus rationem quam medici Angli obseruant præceptis artis medicæ magis consentire.

Cap. xvij.

Anglis ægrotantibus non esse tenuem victum offerendũ sumpta indicatione à consuetudine regione & cœli temperie.

Cap. xviij.

Anglos viciosis aut semicorruptis humoribus abundare non crudis.

Cap. xix.

Aegrotantibus Anglis tenuem victum ob id ministrare

vt redundantes in eorum ventriculis humores absumantur errorem esse.

LIBRI TERTII.

Cap. i.
Causo legitimo quis victus competat.
Cap. ij.
Causo notho seu spurio conueniens victus qui sit.
Cap. iij.
Quid Hip. per attractorias intelligat sorbitiones.
Cap. iiij.
Victus quos recentiores medici tradidere, causo nõ conuenire ostendit.
Cap. v.
Quis victus synochis febribus competat.
Cap. vi.
Inconuenientes esse victus synochis, quos recentiores medici tradunt.
Cap. vij.
Victum tertianæ continuæ conuenientem inquirit.
Cap. viij.
Cibum ex refrigerantibus herbis ante morbi coctionem in continuis febribus non conuenire.
Cap. ix.
Quis victus continuæ à flegmate conueniat.
Cap. x.
Latica febris quem exposcat victum.

Cap. xi.
Exquisitæ tertianæ conuenientem victum inuestigat.
Cap. xii.
Disceptatio an recte consuluerint arabes medici in tertiana pura à cibis in quibus est caro abstinendũ esse.
Cap. xiii.
Febri à pituita dulci & salsa quis victus conueniat.
Cap. xiiii.
Crassiorem victum exposcere tertianam quàm quottidianam contra recentiores medicos.
Cap. xv.
An in febre phlegmatica procedendum est, tenui victu ad septimũ vsq; ut arbitrati sunt antiquiores arabũ.
Cap. xvi.
Febri quartanæ quis victus competat.
Cap. xvii.
Qua spetie quartanæ tenui sit utendum uictu ad uigesimum vsque diem.
Cap. xviii.
Rationem inquirit quare diuersis cibariis prauæ substantiæ aliquando sanentur ij qui quartana febre laborant, occasiones'que singulorum remediorum signis docet cognoscere.
Cap. xix.
Pestilenti febri conuenientem victum investigat.
Cap. xx.
An allia conueniant in pestilenti constitutione gratia præseruationis & curationis.

LIB. III.

Cap. xxi.
Victum inquirit colliquantibus febribus conuenientē.
Cap. xxii.
Victum inuestigat qui morbillis & uariolis competat.
Cap. xxiii.
An usus salitorum piscium in uariolis sit secundum rationem.
Cap. xxiiii.
Victum conuenientem hemitriteo docet.
Cap. xxv.
Febri in qua exteriora frigent & interiora calent & econtra quis conueniat uictus.
Cap. xxvi.
Quando a symptomatibus sumenda sit victus ratio.
Cap. xxvii.
In vigiliis conuenientem victum inuestigat.
Cap. xxviii.
Victum docet qui sitienti infirmo conuenit.
Cap. xxix.
Ad inducendam appetentiam que conueniant cibaria
Cap. xxx.
Qui ad sedandam tussim prosint victus.
Cap. xxxi.
Ad obstructionem iocineris & lienis quæ competāt cibaria.
Cap. xxxii.
In fluxu ventris quæ victus ratio sit obseruanda.

FINIS.

AD LECTOREM.

ERRATA & quæcunque incuria typographi omissa sunt numeraturus candide lector, volui te primum admonere peculiare esse autori infinitiuis absolutis loco indicatiui crebro vti. Quorum singula ad indicatiuum reducito aut subintelligito constat aut manifestum est. Vt cum in initio ait, varias esse apud medicos opiniones, variæ sunt, aut varias esse constat, intelligere oportet.

1 fol.1 pag.1 lin. geneneris pro generis
1 fol.2 pag.5 lin. indebita pro in debita
2 fol.1 pag.1 lin. concedendum pro accedendum
2 fol.1 pag.26 lin. quisque pro quosque
3 fol.1 pag.4 lin. inuictus pro in victus
5 fol.2 pag.3 lin. inchoantem pro inchoante
7 fol.1 pag.25 lin. in signis pro insignis
10 fol.2 pag.13 lin. cuius signũ est pro scies signũ esse
11 fol.2 pag.26 lin. similem pro similis
12 fol.1 pag.23 lin. aqua pro à qua
12 fol.2 pag.7 lin. efferas pro afferendum
14 fol.1 pag.20 lin. atqui pro nunquid
14 fol.2 pag.23 lin. cum ægrotans pro ęgrotanti cum
15 fol.1 pag.4 lin. iudicat pro iudico
15 fol.1 pag.27 lin. cibum ut pro cibum offerre ut
16 fol.1 pag. 27 lin. enuem pro tenuem
19 fol.2 pag.7 lin. clarissimo deficit accepi
21 fol.1. pag.3 lin. victus pro virtus
in eadem 8 lin. didiscimus pro didicimus

ERRATA

in eadem 18 lin. pidaurum pro epidaurum
35 fol.1 pag.10 lin. febri pro in febre
in eadem 11 lin. tenui sorbitione pro tenuem sorbitionem
in eadem 13 lin. illum pro ægrum
36 fol.1 pag. 6 lin. virtus pro virtutis
40 fol.1 pag.19 lin. putrefactionem defecit fiunt
41 fol.1 pag. 3 lin. coctionem pro coctione
in eadem 12 lin. tansi pro acsi
43 fol.1 pag. 5 lin. mediocri superfluit
46 fol.1 pag.14 lin. sumi pro sumeretur
51 fol.2 pag. 2 lin. dictare pro dietare
in eadem 15 lin. morbi defecit initia
56 fol.1 pag.21 lin. auctata pro aucta
57 fol.1 pag.22 lin. ab eodem defecit præceptum sit
65 fol.1 pag.26 lin. consuetudinis pro consuetudini
in eadem ijs pro quis
65 fol.2 pag.25 lin. natura & ætas pro naturam & ætatem
66 fol.2 pag.15 lin. nolumus pro volumus
67 fol.1 pag.28 lin. refrangentem pro refrigentem
67 fol.2 pag.11 lin. recessum pro recessus
67 fol.2.pag.14 lin. id pro hæc
68 fol.1 pag. 3 lin. hanc pro hæc
68 fol.1 pag. 4 lin. necessariam pro necessaria est
68 fol.1 pag.24 lin. videbatur pro ledebatur
69 fol.1 pag.13 lin. refranguntur pro reprimuntur
70 fol.2 pag.14 lin. facile pro facili
71 fol.1.pag. 2 lin. facile pro facilius

ERRATA

81 fol.1 pag. 9 lin. imbecillem pro imbecille
in eadem 16 lin. laborat pro laborantibus
in eadem 26 lin. ſalubrius defecit ijs
in eadē 2. pag. 18 lin. ſalubris pro ſalubre
in eadem 22 lin. medius pro media
82 fol.1 pag. 1 lin. deferunt pro defert
83 fol.1 pag 2 lin. conceſſiſſe pro conceſſit
86 fol.1 pag. 13 lin. ſcriptis defecit ſuis
88 fol.1 pag. 27 lin. eſt pro eſſe
89 fol.1 pag. 6. lin. poſt vocant defecit obſeruent
89 fol.2 pag. 19 lin. die pro dies
98 fol.2 pag. 8 lin. ſubſtites pro ſuperſtites
102 fol.1. pag. 26. lin. ē pro et exhibito pro exhibeto
105 fol.2 pag. 21 lin. rhus pro rhoëm
106 fol.1 pag. 5 lin. hæc dico pro hæc ſunt
108 fol.1 pag. 23 lin. ſemiſſem pro ſemis
110 fol.1 pag. 6 lin. ſemiſſem pro ſemis
110 fol.2 pag. 15 lin. refrangendo pro refrigendo
112 fol.1 pag. 19 lin. præcipimus pro percipimus
119 fol.2. pag. 6 lin. conuerſio pro conuerſo
133 fol.2. pag. 7 lin. limonum pro limonij
in eadem 11 lin. limonum pro limonij
136 fol.2 pag. 29 lin. alia pro aliam
144 fol.2. pag. 2 lin. ſit pro fit
157 fol.1 pag. 14 lin. ſuccus pro ſuctus
161 fol.2 pag. 2 lin. altera pro alteram
in eadem 6 lin. altera pro alteram
162 fol.1. pag. 7 lin. nulla pro vlla

CLARISSIMO VIRO D. BRVDO LVSITANO MEDICO EXCEL= LENTISSIMO VENETIIS S.


I LIBRVM *tuum de ratione uictus iam abſoluiſti, & apud nos eum imprimi placet, dabis huic ta= bellioni, curabimus ſumma fide, ac diligentia, vt egregijs charateribus, elegante charta, ſine vllis mēdis in publicum exeat, ita vt te nunquam pœniteat librum noſtro prælo cō miſiſſe.* Exemplaria *quot quot voles tibi dono mit= temus, & ſine mora æditionem maturabimus.* Et *ſi quid aliud petieris tuo nomine libēter præſtabimus.* Sin *hoc tempore abſolutus non eſt, fac vt ſaltem in= tra tres menſes ad vmbilicum perducatur.* Tunc *ad nos commode mitti poterit per mercatores, qui* Franc Fordiam *petunt, qua de re ex domino* Vincē*tio bibliopola ad ſignum* Eraſmi Reterodami *cer= tior fieri poteſt, vel ex domino* Arlenio *noſtro.* Hęc *ad te cum meo tum typographi noſtri* Chriſtophori Froſcoueri *nomine ſcribere volui.* Meo *quidem, quoniam librum adeò doctum & vtilem cito ac be=*

ne publicari cupio, quod commodius atque in vrbe nostra fieri vix potest. Typographi autem, quoniam ille meis consilijs uti solet, in excudendis libris quos vendibiles fore existimem. Vale mi Brude colendissime atque per grammataphorum istum, si librum non mittes in præsentia, saltem an, & quando sit nobis expectandus rescribito. Tiguri, quæ vrbs heluetiorũ est primaria.

Tibi deditissimus conradus hesnerus medicus.

BRVDI LVSITANI DIONYSII MEDICI FILII DE VICTV FEBRICITANTIVM. SECVNDVM MENTEM HYP. AD ANGLOS.



VM OMNIS GENEneris *affectus qui homini accidere possunt, via triplici soluantur, pharmaco, manuali operatione, & debita victus administratione*. Partem eam *quę de pharmacis agit quando & qualia exhiberi debeant plurimi græcorum loculenter tractarunt, disertissime quidem* Galenus *multis in locis vtranque disseruit*. Eam vero *quæ rectam victus administrationem docet, calamo ideo dignam nostro iudicauimus, quia qui speculationem generatim tractarunt rationali methodo, cum ad particularia peruentum est hoc est ad singulas morborum speties, deficere videntur ab eo quod res exigit*. Nam *& illa animaduersione digna sunt an ab ijs quæ in vniuersum dicta sunt amplectantur, aut extra sint*. Et *horum sin*

gula diuiſione non carent. Qui autem eam in particu laribus tractarunt, vt medici recentiores in artificioſe quidem & ſub inde à vera deuiantes methodo, multa tradiderunt, quæ ægrotantibus minus ſalubria ſunt. Rei præterea difficultas medicorum noſtri temporis opinionum varietas, indebita victus adminiſtratione, dictorum Hyp. obſcuritas, effecere, vt id quod à perſpicua & completa doctrina deeſt, apponam. Atque eo maxime quod medicæ artis pars quæ victus rationem docet reliquis duabus potior ſit & magis neceſſaria. Illę enim morbum & eius cauſas, hæc corporis facultates præcipue reſpicit. Reliquæ duæ niſi hæc adſit conſiſtere non valent. At ſola victus ratione ſcimus multos à morbis liberatos quottidie, & plures eſſent profectò, ſi medici quauis occaſione pharmacorum auxilium non imploraſſent. Quot enim ſunt qui ſolo competenti victu citra vllum diſcrimen ab affectibus liberari poſſent, qui præter rem pharmacis contunduntur. Iis adde ſi in quauis illarum error contingat quantum ſit exitialis, in acutis præſertim morbis, in quibus noxę grauiores eſſe ſolent. Vt ſcite à Galeno in ſecundo de ratione victus ſcriptum eſt in hæc verba. Si enim hominis naturam nō noueris, metus eſt ne plus iuſto vacues, vel nullo pacto vacuationem moueas, aut ſi moueris non tamen ſufficienter euacues. Quæ omnia magnas in morbis acutis pariunt offenſas. Quapropter cum in arte medica vltra arteficialem coniecturam quam græci τέκμαρσιν dicunt, certitudo alia non ſit, caute agendum ſemper que ad id vbi errores minus di

ſcriminis afferunt magis concedendum. Nec in acutis duntaxat morbis maximam vim habet victus ratio ſed in diuturnis. Quod enim medicaminibus obtinere medicus non potuit id conueniens victus, temporis longitudine efficit. Cuius argumentum eſt medicos eos quos incuratos demittunt, conuenientis victus obſeruare rationem tanquam vltimum auxilium à quo ſuperſit ſpes tandem conſulere. Quod autem in acutis admodum ſit neceſſaria hæc ſpeculatio ratio indicat. Nam ſi minus nutrias naturæ vires adimis, ſin magis, morbo fomenta miniſtras, vtrunque autem medicus prudens dabit operam vt vitet. Nam vt à Gal. ſcriptum eſt in ſecundo de ratione victus in morbis acutis verum inquit ſi in ventrem abſorptus fuerit cibus quod redundat ſuperfluitque ſi alias multo magis in acutis tolere eſt difficile. Præterea in eodem quod plus eſt, inquit exuperatque noxas interdum inemendabiles facit. Eodē Præterea libro ipſe Hyp. neque ſanè calumniam effugere poteſt inquit, qui ægre valentem exuaſorum inanitione non cognoſcit torquetque diæta, periculum ſiquidem aliquod affert erratum hoc ſed longe minus quàm alterum & riſu dignum magis. Cum hæc igitur ſpeculatio admodum ſit febricitantibus neceſſaria, magníque ſit momenti in morbis acutis, cernens noſtra ætate hāc partem artis à medicis velut incultam & neglectam & quiſque citra rationalem methodum ſuum inſequi modum Hyp. dogmata poſt tergua mittentes tanquam inutilia & quæ ad artis opera adduci non poſſint, Viſum eſt mihi de ratione victus librum hunc compone=

re, vt in eo mentem Hyp. & Gal. aperte ostendamus. Et quantum facile sit secundum eorum doctrinam febricitantibus victus administrationem debitam ratiocinare. Singulis postea febrium spetiebus conuenientem victum perscribemus. Postremo secundũ naturam symptomatum victus formam immutabimus. Vnum ergo prius admonentes ad rem festinabimus, Hyp. & Gal. dictis fidem dari postulamus reliquorum vero græcorum tum arabum quantam ratio & veterum autoritas cõcesserit. illud quoq; admonere oportet modum quem obseruabo in adducendis aliorum medicorum opinionibus citabo propijs nominibus eos qui recte senserint qui opinione mea à vero deuiauerint innominatos demittam. Neminem volo sua defraudare gloria præcipue eo quod & ego ipse facile in ijs labi possum, vnde iure mihi quemadmodum & ego feci. Nam in hoc Hyp. in libro de arte insequor qui ita scribit malis autem verbis aliorum inuenta vituperare ars non est.

Dionysius medicus & Brudo eius filius interlocutores.

B. Abunde à medicis hodie disceptatum est de epythematum impositione. In re alia non video inter medicos citius conuenire ac in debita victus administratione. Quod argumẽtum est rectam exhibendi victus rationẽ aut adeo manifestã esse, vt nullus supersit dubitationi locus, aut adeo difficilem vt supra omnem sit disputationem: Aut ideo quod ab ijs quos in victus exhibitione committunt erroribus parum posse ægrotantes lædi iu-

dicant. Dio. In vtraque artis medicæ parte tū quæ de pharmacis tum ea quæ manuali agit operatione secundum antiquorum dogmata medici agere conantur. Sola inuictus ratione non aliter quàm si intra portum nauigarent nauticum directorium demittunt. Cum tamen res aliter habeat. Nam si antiquis aliqua sit adhibenda fides, vni præcipue Hyp. Scripta quæ posteris reliquit haud qualescunque sed insignes maxime noxas incurrere acute ægrotantes ab incompetenti victu, & intempestiue exhibito aperte ostendunt. Quantæ autem huic vires sint si recte administretur in roboranda natura declarat ieiunantium ad quascunque leuiusculas obeundas actiones formidolosa imbecillitas. B. Pater optime da quæso vt tecum de hac re sermonem habeam. Nam ocium huic speculationi opportunum rigida præbet hiems. Ardet animus ab ijs quibus non paucis implicitus est nodis explicari. Scio te annos quadraginta peruigili lectione græcorum & arabum volumina euoluisse, ita vt recentiorum nullum præter miseris quorum calamus dignus sit nomine. Hoc temporis interuallo incessanter ægrotantium gemitibus assidens inusitata diligentia præstantissimi apud occidentalissimos hoīum medici nomen, consecutus fueris. Nec me fugit te dicere solitum ingenuum artificem esse qui sciat quæ cæteri, & cæteros lateant. Hic vnus instar multorum est. D. Gaudeo quod in hanc speculationem procliuem studio ardenti te sentiā. Ego vero quod mea dedit scire ætas libenter tibi aperiam. Id enim iam diu decreueram vt id quod in arte

medica longo vsu, aut humano generi commodum, aut noxium inueneram, in te ipso ad obliuionem senij vt Plato ait, velut commentarios mihi reponerem. Simul vt mihi ad manus cum morte iam decertanti tertius à patre meo succedas medico apud principes hispanorum viros præclaro. Ita vt per te artis medicæ peritia nostrę domui iam familiaris inhabitet. Nam nodus triplex non facile soluitur vt hæbreorum sapienti placuit.

LIBER PRIMVS.

DISCEPTATIO AN CRASSVS victus acute febricitantibus conueniat.

CAP. I.



IRCA Victus administrationem varias esse apud medicos opiniones. Fuerunt qui crasso semper victu quibuscunque in morbis alendos ægrotantes opinati fuerint vt olim rome petrona cuius meminit Gal. in proœmio libri de ratione victus in acutis. Sunt qui semper tenui. Sunt qui in primis ægritudinis diebus magis crasso deinde magis tenui. Sunt & qui contra censeant. Cum ijs qui primum obseruant modum, vt pote qui rem attigisse rationibus proprijs magis videntur sermonem habebimus. Et vt disceptatio recte procedat, præmittere oportet crassi, tenuis, & symetri victus, notiones, vt constent id de quo disputatio est. Est quidem vires augere potens alimentum quod plenum aut crassum vocatur, à græcis ἁδρὰ dicitur. Conseruans vero quod symetrum existit. Quod vero comminuit tenue, λεπτὴν δίαιταν græci nuncupant. Has amethodico confessas habere volumus. Insuper & illud raro accidere, vt robur corporis ægrotãtiũ maius reddere quàm acceperimus studeamus. Magna ex parte properandum esse in longis morbis vires seruare, in acutis parum debilitatas conseruare. Concessa hæc omnia sunt à Gal. in eo tenues & Aphô. pri.

exquisiti victus. Ex quibus aperte ostenditur, ægrotã-tibus symetrum, tenuem, aut tenuissimum, conuenire victum, eum vero qui crassus dicitur, solum sanis concedendum corporibus, secundum rationalium medicorum dogmata. Eorum vero qui cõtra sentiũt nempe quibuscũque in morbis crasso victu, qui vires augeat vtendum esse, rationes audire oportet. In omni morbo ob naturæ robur sequi euasionem sepius, ob imbecillitatem vero, in mortis discrimen laborantes deuenire. Cibo & potu cum natura vires assumat talem iccirco ac tantum indulgendum, vt laborantis naturam roborare valeat. Id cum crassus solum victus præstet, quibuscunque in morbis ministrandum fore. Præterea aut virtus corpis morbo supior est, aut æqualis, aut inferior. Quænam spes superest tenui aut symetro vtenti victu, dum natura ab initio morbo est imbecillior, cũ horum neuter vires naturæ augeat. At posse ex ijs aliquot crasso liberari victu, experientia eorum qui pestilenti febre detinentur, qua nulla alia exitiosior est, cõstat. Cum qua duellum si cõmittat natura, vt plurimũ

Aphõr 2. succũbit. Vt asseruit Gal. in expositione illius quibuscunque crisis fit, ab ea tamen multos à medicis destitutos sanatos esse, quos vulgus ipsa natura edoctũ, crasso victu nutriuerit. Ita vt nonnulli rationalium medicorum id aduertentes, crasso victu eos reficere qui pestilentia detinentur iubeant. Vt celsus qui vinum calidum ac meratius dare iubet, & omnia glutinosa inter quæ carnem generis eiusdem. Auicena etiam summus inter arabes medicus confessus fuerit, qui ex ijs viriliter

agunt & violenter comedunt euadunt. Neque id præter rationem est, nam quæ antea inualidæ vires erant, crassi victus ope, firmiores euadunt. Nullos autem tenui aut symetro posse liberari docet rationalium medicorum sollicitudo, in cognoscendis ijs morbis qui corporis vires superant, vt ab eis medici illæso honore cō festin discedant. Ob quam causam Hyp. rationalium medicorum princeps scripsit, cognoscere inquit oportet, horum affectuum naturas, quantum supra vires sunt corporum. Tenues ergo victus, & qui tenuissimi dicuntur, solum ijs ministrandos morbis fore methodice fateberis, in quibus natura ab initio morbo superior est. Quod Gal. confessus est, cum de victus forma secundum Hyppocrat. mentem ageret, nempe vbi tenui, aut tenuissimo vtendum esset, admonet eum victum in ijs duntaxat morbis ministrandum, qui ad salutem terminantur, minime in ijs qui ad mortem. Cuius verba ita habent secundum veram versionem, non enim distrahere naturam oportet ad aliam nouam coctionem, cum eo tempore humorum morbum efficientium coctioni fortiter vaccet, & sit paulo post ipsos euictura. Sic à nobis ostensum est in tractatione de crisibus, secundum illos scilicet morbos sermone omni procedente, in quibus omnino digta & curatione vtimur. Sunt autem in quibus vigorem excipit declinatio, nam in quibus mors post vigorem sequitur, ea solum artis parte quæ prædicit vtemur, prænuntiantes quod futurum est, vt absque culpa simus futuri euentus. In solis ergo morbis qui ad salutem sunt terminandi tenui, aut

In primo p̄dictionum.

Aphōꝫ 1.

tenuissimo vtendum esse victu, aperte supra dicta Gal. verba declarant. Sed dicat methodicus oportet, vnde medicus acuto morbo inchoãtem euasurum ægrum certo sciet, vt illi tenuem, instituat victum, aut tenuissimũ, aut horum neutrũ si moriturum. Cum in arte medica futuri euentus nulla certa habeatur scientia, necesse est vt aliquando eos qui liberandi sunt prẹter medicorum opinionem, crasso alamus victu, & non raro eos qui extremum insperato clausuri sunt diem tenui. Crasso ergo victu medicorum iuditio morituri, sanabuntur, tenui eorundem opinione conualituri, interibunt. Quod fateri cogeris si optimorum medicorum iuditio, quibus non raro præter opinionem tales euentus accidunt, quicquam certitudinis tribuas. Si necessitatem salutis aut mortis supra dicta Gal. verba supponere dicas, nihili est profecto Hyp. apud eos qui conualescent necessario aut morientur, nihil interest si crasso aut tenui hos alas victu comparandæ salutis gratia. At si forte methodicus cedat certa scientia nihil haberi, esse tamen in arte medica arteficialem coniecturam quam græci τέκμηριον dicunt, qua eorum quæ sunt aut erunt cognitio habetur. Hac instructus medicus conijciens ab initio ægritudinis corporis laborantis virtutem morbo superiorem, ægrum conualiturum sperabit tenuem'que victum prout morbo acumen contigerit instituet. Quod si inferiorem moriturum. Quare nec tenuem nec tenuissimum huic ministrabit, sola prædictione contentus discedet. Attamen cum coniecturale signum non necessariorum sit, neque impossibilium aliter habere, non to=

let quod ſupra obiectum eſt. Præcipue cum Hyp. ipſe acutorum morborum pronunciationes non omnino certas eſſe nec ſalutis nec mortis ſcripſerit. Præterea eſto ab initio acuti morbi virtutem ſuperiorem certo conijcias, tenuem adhibebis victum methodice, ſed cum talis ob tenuitatem vires minuat, vt ſupra oſtenſum eſt de mente Gal. fieri poſſe, vt tenui illo victu moriatur ille, craſſo vero ſeruetur. Nam ſi ponas virtutis ſupra morbum exceſſum tantillum, vt ſoli vincendo morbo & eius obſiſtere incurſibus virtus ſufficiat. Apud' ꝙ vigorem ſola habita morbi ratione minori exceſſu ſuper ſit morbo ſuperior quàm ſit id quod tenuis victus virium exoluit. Hunc ſi tenui victu qui quantum ex ſe eſt vires exoluat, ab initio alas, putas'ne apud ſtatum ſuperiorem futurum, an potius inferiorem. Ego quidem non peruenturum ad ſtatum ſi vltra dies ſeptem prorogetur opinor. At ſi ſymetro victu qui quantum ex ſe eſt vires ſeruat, quo ſolum in chronicis morbis vtendum fore rationalium medicorum ſecta imperat, hunc nutrias, non'ne euadet. Nam ratione ſymetri victus nullum patiuntur vires detrimentum. Quod ſi cibum qui vires naturæ addat miniſtres multo fortiorem hunc quo vis morbi tempore quàm ſymetro victu effities. Sed forſan ad hæc methodicus victum tenuem virtutem et ſi imbecilliorem quantumcunque reddat, morbum breuiorem efficere. Nam natura cibi tenuis coctioni parum incumbens diutius materiæ morbi vacabit, vnde citius fieri coctiones minus'que morbi ſymptomata & labores naturæ robur exoluentes durare. Vn

de et si magis tenui victu exoluatur quàm symetro aut crasso, quia tamen minori, exoluitur tempore, minus damni natura feret acuto morbo laborantis, extenui victu quàm symetro aut crasso, si virtutis tenorem in statu cum tenui victu conferas, ad eandem cum symetro aut crasso apud vigorem. Hæc methodicus respondens arbitratur iusta tenuitatem aut crassitiem victus citius aut tardius futuras coctiones, quare & distantiam status longiorem & breuiorem iusta cibi crassioris aut magis tenuis exhibitionem fieri posse putabit. Cum Gal. libro de crisibus primo, et in lib. de quattuor morbi tẽporibus, & in secundo de rõne victus, in expositione illius conijcere autem oportet & robur &c. statum esse cum maxime conficiuntur coctiones ostendat. Quod si ita vt opinatur res haberet, grauiter peccasset Gal. rationalis methodi autor ab Hyp secundus, cum victus formam pœnes distantiam status summendam nobis præcipiat, si pro victus ratione longior & breuior fieri posset. Nam eo modo rectius esset status distantiam ex forma victus conijcere quàm contrarium. Sed pone rursus acute febricitantis vires morbo superiores morbum'que ad septimum terminandum, tenui hunc nutries victu qui vires minuit, nempe hydromelite aut ptisane cremore aut huiusmodi tenui sorbitiun cula, septima die vt pote qua morbi vigor futurus sit ægrotantem omnimoda seruabis inedia. Age nunc sanum hominem æque robustum ac ægrotans erat, simili victu ad septimum seruato, totáque ea die incibatum hominem conuenias vesperascente die septima qualem il-

ctum fore putas. An si prima die miliaria sex pedestri itinere peragebat, citra manifestum incommodum quot die septima putas posse agere. Quilibet sanè mentis an tria possit dubitabit. Idem de saltu, cursu, ponderis eleuatione in summa in omni conatu multum ab ea deficiet meta, quam prima die attingebat. Sed in naturalibus actionibus idem iuditium. Nam si die septima dimidium cibi quem ante diem primam facile digerebat offeras, grauato ventriculo lædetur. Quanto vitalis facultas fiet imbecillior declarant languidi pulsus integra die ieiunantium. Cum ergo sano homini sola illius victus ratione omnium trium virtutum tam sensibilis accidat imbecillitas, quanto plus læsionis & detrimenti virium ex tali victu ęgrotantes ferent arbitraris. Quod si hæsitas, roga huius secte principes Hyp. & Gal. cum scribunt detrimenta minus sanos quàm ægros afficere. Præterea languentes à repentina victus mutatione lædi magis quàm sanos, sed adhuc eos magis qui acutis infestantur morbis. Item in eodem permutatio victus si sanis molesta est languentibus molestior erit. Cum ergo hominem sanum si tenui illo victu ad septimum nutrias, manifeste eius vires minui videmus, multo magis id ægrotanti accidet, ita vt manifesto excessu imbecilliores fiant ex illo victu. Ostensa est causa vna in signis diminutionis virium. Sed age morbum & eius symptomata earum quantum absumant septem dierum interuallo consideremus. Profecto si mens humana ab experientia edocta vt trutina horum admittitur, iudicabit labores acuti morbi vires posse diebus se

Secundo de rõne victus.

ptem insigniter imbecilliores reddere. Vna enim die patiente homine ephimeram febrem, die sequenti sensibiliter imbecillior est quàm ante febris inuasionem. A virtutis igitur robore duo sunt quæ insigniter detrahunt & præter modum absumunt, nempe tenuis victus & morbus. Quod si morbo vires accrescere ad statum vsq; iusta Hyp. sententiam intelligas circa principia & fines &c. colliges, non quencunq; excessum naturæ supra morbum, satis esse ad euasionem. Pone exempli causa morbum & eius symptomata quartã virium partem absumpsisse. Tenuem victũ sextam, morbi vires tertiam superaddant, si prima die virtus duplo erat ad morbum excessu superior, die septima eodem erit imbecillior vna octaua. Quare illa victus ratione morietur ille cuius virtus prima die erat morbo bis fortior. Quòd si hos respectus nempe quartam, sextam, & tertiam, vt incertos nihil certi ostendere dicas, vere, nam exempli causa adducta sunt, vt manifestum fiat, plures eorum qui ab initio morbo erant viribus superiores, posse ex ea victus ratione interire. Multóque excessu opus esse vt illo victu quis euadat. quod si ijs quæ à fide dignis medicis & philosophis scripta sunt in reductione effectuum agẽtium naturalium ad numeros, aliqua fides sit adhibenda, quibus ostendere nituntur ab effectu insensili ad eundem cum manifeste sentitur duplam esse geometricam rationem, minori quàm par erat ratione supra dictos respectus me difinisse scies. Maximũ ergo malum est eo vti victu quo plures qui alioquin seruari poterant intereant. quod si sermonem ad eos qui à

morbi initio pari certant robore conuertamus. Horum nullum intelliges tenui victu posse euadere ratione monstrante cum morbi vires ad statum vsque validiores fiant vt ab Hyp. scriptum est, corporis autem virtus imbecillior. Qui ergo ab initio pari cum morbo robore certabant paulopost eodem futuros imbecilliores. Nisi igitur id quod morbus & eius symptomata viriũ absumunt, crassi victus ope rependas, mors certa sequetur. Quod si dicat methodicus præter victũ tenuẽ esse medicis remedia quibus morbi causam abscindũt, vt missione sanguinis & purgatione ijs siquidem euacuationibus humorem morbum efficientem educunt. Vnde et si pari robore ab initio natura cum morbo certet ob causæ morbi euacuationem bona acuminis morbi pars tolitur, & multo superior natura redditur cuius causa euadet infirmus. Sic in anglia olim lusitano contigisse, laborabat pleuritide cunque morbo ingrauescente delirare cœpisset omniáque indeterius abirent tertio facta fuit sanguinis missio, multúmque eductum est, confestim omnia mitiora fuere, melior pulsus & vrina, cessauit delirium screauit sanatus est. Videbatur tamen ante sanguinis missionem virtus morbo inualidior. Sint hæc vtvis methodice, hac tua ratione vt multoties huiusmodi posses salubres euacuationes moliri, citra magnum virium incommodum, melius egisses si crasso victu qui vires ægrotantis augeat vsus esses, q̃ tenui, à quo vires imbecilliores effectæ, plures euacuationes citra magnum vitæ discrimen non ferunt. Insuper si euacuationes pro votis succedant non oberit an=

In primo Aphõr.

te euacuationem naturam cibo roborasse crassiusculo. Neq; quicquam si id agas post modum die vna interposita lædes. A fœlici nanque euacuatione roborare naturam vt potentius quod reliquum est coquat & expellat, oportet. Quod si econtra accidat vt non raro vsu venire quottidie cernimus intempestiuas à medicis euacuationes easdem'que infelices & cũ magno viriũ ægrotantis incommodo fieri, tenui hos indigere victu iudicas qui vires adhuc imbecilliores reddat, an eo magis qui aliquod imbecillæ naturæ solamen afferat, vt eas quas euacuatione deiecit vires medicus cibo roboret. Nec hoc ipsi rationales negabunt, nempe si in euacuatione erratum sit, melius esse crassiori quàm tenui magis vsum fuisse victu, nam enunciationem à qua illa ostenditur vt veram admittent, vt pote ab Hyp. concessam & Galeno, nempe ægrotantes ab ijs aut quæ ipsi commiserint, aut sponte aut modo quocunq; acciderint peccatis, minus lædi, crassiori victu si vsi fuerint, quàm tenui. A sanorum experientia ad ægrotantes id deducens Hyp. Sano enim homini si aliquid præter consuetudinem accidat, vt exempli causa longam pedestri itinere peragat viam, aut venere nimia vsus sit præter cõsuetudinem, aut solis æstum diutius passus fuerit, aut alius quicunque error accidat, magis lædetur si tenui victu ante vsus fuerit quam crasso. Et hoc est quod Hyp. dixit propterea sanis fallaces sunt valde tenues & exquisiti victus quoniam peccantia difficilius ferũt. In quo apho. non agit ille de peccato quod in exhibendo victu committitur vtrum maius sit in tenuis exhibitione

tione

tione an crassioris, vt perperam plurimi intelligunt, sed de quibuscunque agit peccatis modo quocunque euenientibus quæ magis eum lædere ægrotantem ait, qui tenui qu m qui crassiori vsus fuerit victu. Et vt certo scias hanc fuisse Hypp. mentem non ab re fuerit græcum Gal. contextum adducere qui idem de Hyp. sentit. Cum ita ait ἀμείνων δὲ ἡ προτέρα γραφὴ ὧδε· λαμβάνει γὰρ καὶ ταύτην καὶ γενικώτερον ποιεῖται τὸν λόγον. ὑπὲρ ἁπάσης ἁμαρτίας ἐκδιδάσκουσα τῆς ἀκουσίως τε καὶ ἑκουσίως συμπιπτούσης, τοῖς νοσοῦσιν, ὡς εἶναι τὸν λόγον τοιοῦτον ὅτι ἂν ἁμάρτημα συμπέσῃ τοῖς λεπτῶς οὕτω διαιτωμένοις σφαλερώτερον τοῦτο καθίσταται παρ' ὅσον ἥ τε δύναμις ἀῤῥωστεῖ ὑπὸ τῆς τοιαύτης διαίτης, γέγονεν ἥ τε ἐπ' αὐτὴν μετάβασις ἀήθης. μαρτυρεῖ δὲ τῇ προειρημένῃ γραφῇ καὶ τὰ περὶ τῶν ὑγιαινόντων εἰρημένα σφαλερὰς γὰρ ἐπ' αὐτῶν ἔφη τὰς λεπτὰς διαίτας ὑπάρχειν ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσιν οὐχ ὅτι διὰ τὸ λεπτὸν τῆς διαίτης ἁμαρτάνειν ἀναγκάζονται &c. Hoc est melior prior scriptura complectitur enim & hanc & generaliorem facit sermonē, de omni peccato docens voluntarie aut in voluntarie contingente ægrotantibus, vt talis sit sermo. Quod si peccatum accidat sic tenuiter diętatis periculosius illud est, quantum virtus imbecillis à tali diæta fuerit, & quantum transitus ad ipsam insuetus fuerit. Confirmant dictam scripturam quæ de sanis dicta sunt quibus periculosas tenues diætas existere dicit, quoniam peccata difficillius ferunt. Non quod

propter tenuitatem diætæ peccare cogantur. Sentis ne ex vltimis Gal. verbis non agere Hyp. de ijs quę à tenui victu accidunt peccatis, sed de quibuscunque voluntarie aut in voluntarie contigentibus, quæ magis lædere asserit eos qui tenui victu vsi fuerint, quàm qui crassiori. Cunque non raro accidat ægrotantes ex intempestiuis lædi euacuationibus, id esse agendum & ad id accedendum, vnde damna & errores minus discriminis afferant. Id fiet si crassiori vtemur victu. Cum autem non solum in euacuationibus sed in alijs non paucis quottidie ægrotantes delinquant, aut sua sponte, aut assistentium causa, & non raro ab ipsis medicis, accedet iam dictis non parui momenti ratio ostendens crassi victus non spernendam ægrotantibus commoditatem, nempe minus lædi ab erroribus. Quandoquidem peccata euacuationis si cum tenui victu coniungantur, methodo quidem sed irrationali ęgrotantem in mortem deferunt. Nam vt in prouerbio apud hyspanos est, caput cito tondent plures manus. Fateri igitur cogeris methodice cum in euacuatione erratum sit, minus mali ægrotantes pati si crassiori, quàm si tenui magis victu vsi fuerint. Quod si pro votis euacuatio succedat non est quod tenui vtaris. Nam si à naturalibus ad eas quæ ab arte fiunt euacuationibus validũ est argumentum vt tradidit Hyp. manifestum erit si quantò maior fuerit expurgatio, tanto magis ad iudicationem vsque dare oportet vt ille scripsit, idem obseruandum fore in ea quam medicus feliciter molitur euacuatione. Quare committendum non est vt ea fiducia tenui vta-

1. Aphor.

Primo de rõne victus.

ris victu, vt id imbecillitatis quod ex eius vsu natura incurrit noxij humoris euacuatione rependas. Sed his omissis mentem ad eos qui insuetum nauigant æquor conuerte cum eorum turbantur corpora, quorum qui cibo et potui non parcunt minus conturbari certum est, nam facilius & minori cum molestia euomunt, vnde citius ab aff. ctu liberantur. Qui vero magis abstinent. contrarium eis euenire diligentiores nautæ affirmant, Age experiamur alias causas, pone duos omnia quibus sint paria ad solis æstum nimis incalescentem, alter tenui victu, alter crassiori vsus sit ab ante hesterna die, vter eorum magis aff. cietur putas, ego quidem periculũ huius rei iam in me ipso faciens sensi minus me solis calore cum crassiori vsus fueram cibo, quàm tenui affectum fuisse. Idem ijs accidit qui alta niue iter peragunt. Quare si quis hęc alta mente reuoluat, aperte colliget, verum id esse in cuiuscunque causæ impressione minus fore ob noxium qui crassiori victu vsus fuerit, multo autem magis qui tenui. Quare cum ita res habeat magnum afferet ægrotantibus crassus victus commodum. Nam cum in morborum consideratione duplex sit medico scopus, alter ad id quod factum est, alter vero ad id quod futurum, id curat medicus qđ iam est, id præcauet quod nondum est, hoc que est, quod alijs verbis medici dicunt, cum morbus & causa simul coincidunt, curationem mixtam esse, ex ea artis parte quę curat, & ex ea quæ præcauet, pro philaticæ græce dicitur. Cum ergo præcipua intentio medici deficiente eo quod vrget, ad id sit quod futurum est, danda est opera vt eo

disponamus modo ægrotantem vt minus eius quod futurum est recipiat. Ostendi autem supra crassum victum corpus sic disponere vt minus quarum vis causarum impressionem percipiat. Quare ægrotātibus omnibus ministrandum esse, vt ab eo quod futurum est minus afficiantur. quod si febricitantem consideres qui tenui victu vsus fuerit, calorem acriorem ad intima corporis penetrantem morbíque labores molestius ferentem, contra qui crassiori, minus à febrili calore molestari, facilius autem symptomata & labores ferre, magis vero morbi & eius causæ impressioni obsistere, validius bonos chimos ne putredinem concipiant manu tenere. Cuius signum est causarum nō naturalium actiones minus eos qui crasso vsi fuerint victu præmere. Quod si rusticos operarios nautas & id hominum genus in mentem reuoces, cum ab acutis corripiuntur morbis, non ptisana, non aqua mulsa, non oximelite euadere, sed valenti cibo & potu, sola ea differentia quod subtiliori modo parant, ob coctionis facilitatē, id ita eē scies, cū ob id periclitari magis rusticos q̃ ciues non videamus, qui tenui victu vtuntur, quinimo rusticos facilius & citius à morbis liberari. Vt Venetijs rusticæ duplici laboranti tertiana contigit. Cunque accedens medicus aquam hordei & iusculum pulli frigidis herbis temperatum consuleret, illa annuente abijt. Sequenti die accedens & nihil eorum quæ iusserat factum accepisset, ægre ferens discessit, nihil boni rusticæ futurū sperans, quam duobus post diebus in domo amici offendit gloriantem se suo consilio & non medici serua=

tam. Sed heus tu methodice cum virtus ægrotantis nimis imbecillis est, non ne eam cibo & potu roborare conaris vel ipso morbi vigore vt Gal. tradit. An non putas melius crassiori victu corpus antea nutrisse, vt hora maxime commotionis absque cibo permanere potuisset. ob id quia natura ad insignem deueniente imbecillitatē non facile cibo noxa corrigitur. Nisi enim ipsa natura circa cibum elaborauerit cibus per se non digeretur, nec vires naturæ ministrabit, nam oportet vt ab ipsa natura principium sui adiumenti habeatur, quæ cum valde imbecillis est tantillum non valet cibum coquere nec digerere. Quare consultius ageretur crassiori ante corpus victu nutrire vt minus in huiusmodi imbecillitates incidat natura. Dictæ sunt nonnullę rationes ob quas in morbis crasso vti debeamus victu qui vires laborantis augeat, nullam'que legitimam methodicus rationem ostendet quod tenui qui vires ęgrotantis minuat vti oporteat. Methodicus forsan pro ratione Galenum adducit ita dicentem, nam si crasso vteremur cibo, adderemus in morbum, cuius verba sic habent, nam si eas tales quales acceperimus properemus in istis seruare vel etiam augere, semper adderemus in morbum. Vnde aperte ostendit non solum victu crasse sed & symetro si vtamur augere nos semper in morbum. Hæc quidē Verba methodicus pro se citans putat obtinuisse. Et si hoc tibi pręstem, vt in hac re Galenum vt iudicem admittam, possem tamen methodice arte tuū in præsenti deuiare tellum. Nam male citasti Gal. in eo verbo semper, illud ad sequentem dictionem adderemus referens.

Aphoῤ I.

Aphoῤ I.

Et talem facis sensum quod si inacutis vires seruare properemus, vel etiam augere, semper adderemus in morbum. Cum aliter habeant græca exemplaria nempe εἰ γὰρ ἤτοι φυλάττειν αὐτὴν οἵαν παρελάβομεν ἐν τούτοις ἢ προσαύξειν ἀεὶ σπεύδοιμεν αὐξήσομεν τὴν νόσον hoc est si enim seruare ipsam, scilicet virtutem qualem acceperimus in ijs scilicet acutis vel augere semper properaremus, addemus in morbũ. Vnde non damnat Gal. in acutis simpliciter virium additionem, sed illud maxime ne semper properemus addere eas cibo, innuens in statu & apud ipsum si cibo vires addere coneris errorem esse. Sed age methodice hæc demittens uolo tecum in hoc duello ea vti animi liberalitate qua cum aiace vsum fuisse hectora refert Homerus. Crasso victu qui vires augeat ideo vtendum non esse ais, ne addamus in morbum, unde quęso hæc fiet additio, aut quia cibus in morbi materiam conuertitur, aut quia eo temporis interuallo quo natura cibo præparando vaccat à morbi coctione cessans cã est vt diutius duret affectus, aut q̃a aff ctũ maiorẽ reddimus, aut quia in priorẽ causam addimus, ab oĩbus hisce modis morbum sumere posse incrementum certum est. Age nunc an in ratione cibi crassi qui vires augeat aliqua dictarum insit occasionum cõsideremus. Cibum porrò in morbi materiam conuerti duplici de causa contingere aut quia similem in qualitate aut substantia aut quia à natura non commode apparatur, vnde corruptioni disponitur, non apparatur aut ob multitudinem immodicam aut crassitiem. Proinde fieri potest

vt ægrotantibus cibum offeramus qui vires augeat, qui nec qualitate nec substantia humori peccanti similetur, sed & eius mediocrem exhibere possumus quantitatem qui quàm minime difficilis sit coctionis sed admodum leuis. Verum ob dictam causam conuincitur petrona carnes assas acute ægrotantibus ministrans, quæ cum difficilis sint coctionis & haud commode à natura præparentur causa est vt diutius immorantes in laborantium ventriculis corrumpantur, vnde in morbi materiam tandem conuertuntur. Quod ad morbi durationem spectat, necessarium non esse vt quicunque cibus vires ęgrotãtis augens multũ exposcat ad eius coctionẽ tempus. Nam alica inter crassa ab ipso Gal. connumeratur cibaria, & tamen breui admodum coquitur. Simile habent oua sorbilia, & vinum quod citissime quidem coquitur & multum vires iuuat, præcipue naturales & vitales. Affectum intensiorem efficimus vt si iocinere aut liene obstructione laborantibus dulcia cibaria ministremus, & quæ facile particulis hæreant. Et si liquefacientibus febribus aquam mulsam exhibeamus. Quod nec hoc crassum cibum qui vires augeat commitetur necessario, manifestum est. An postrema participat occasione tentemus. Priorem dico causam pororum obstructionem aqua putredo ortum habet, hanc à multitudine humorum intra venas aut ab eorum crassitie aut lentore aut à duobus aut simul ab omnibus prouenire Gal. autor est. Cum autem obstructiones sunt aut suspitio est ne fiant, cauendum esse eum cibum qui plectoriam efficiat exhibere. Victus autem

1. Aphor.

In libris de methodo medendi.

qui vires auget omnino hoc non caret crimine, nam vires augere non posset nisi maior eius pars in sanguinem conuertatur. Ob solam igitur pororum obstructionem crassus victus suspectus esse videtur. Sed cum in omnibus acutis morbis non ad sint obstructiones nec dispositio à qua iusta earum detur suspitio. Non esse ob id quod singulare est, vniuersale efferas perceptum, nempe omnibus in acutis tenui esse vtendum victu. Sed age methodice cum febris acuta cum obstructione adest, quo vteris remedio vt hominem in sanitatem vindices. profectò si Gal. in libris de methodo medendi & in libro de plenitudine consentis, & toti rationalium medicorum scholę, sanguinis missione, nisi quę probibeant ad sint, dices. Nam febrem tolere non posses nisi prius ob structionibus liberandis intendas, quorum causa euacuationem molimur & si plectoria non adsit, sola melioris transpirationis gratia, vt ab eodē discimus. Nam stante eadem pororum raritate post humorum imminu tionem liberiores fieri inspirationes & expirationes cōtingit. Tu igitur methodice sanguinem mittis hac sola de causa vt liberiores fiant transpirationes, ego hac ipsa quam tu, & vt post euacuationem crasso cibo qui vires augeat vti secure & citra læsionem possim. Sentis ne pluribus in morbis acutis crasso victu illico citra ali quam præparationem vtendum esse, in ijs vero quibus obstructiones coniunguntur quæ morbi materiam fouent aut suspitio est ne fiant corpus fore præparandum ante crassi victus exhibitionem. Nec hanc præparationem solus huius gratia molior. Nam & tu & ra=

tionales quicunque illam tanquam remedium ad ſanationem nō vulgare amplectimini. Solum vnum eſt quod inter nos ſeparat quod vos id agitis vt morbum oppugnetis ego vero ob id ipſum, & vt laborantem naturam citra læſionem roborare poſſim. An non tibi methodice ſubijt in mentē ſimile eſſe illud Hyppocratis cum de corporibus athletarum ſermonem faceret, quem oribaſius de omni craſſo & obeſo intelligendum monet, horum igitur inquit cauſa bonam habitudinem ſoluere confert, non tarde vt rurſus principium nutritionis accipiat corpus. Nullam igitur validam perpetuam aſſignabis rationem quod tenui victu qui ægrotantis vires minuat et imbectlliores reddat in acutis vtidebeas. Nōne Hyp. prçceptum eſt cum aliquod ſignum prorritatorium aut euacuatorium affuerit vel in hypocundrio, craſſiori victu vtendum eſſe. Vbi Gal. communi prorritationis nomine comprehendiſſe omnia Hyp. quæ quo vis modo virtutem ad imbecillitatem agunt ſcribit, ut morſus quem acris humor in inteſtinis aut ventriculo parit, præterea vigilia, ira, meror, lūbrici, elmynthes, qui ab inteſtinis ad ventrem vſq; aſcēdunt, & pruritus cutis & partis alicuius qui nocte oboriatur, & plurima alia quæ ſub euacuatorio comprehenduntur ſigno, & ſub hypocundrio. Cum ergo omnibus his ob id quod virtutem infirmiorem reddere nacta ſunt, craſſiori victu obſtare præceptum vobis eſt, id diligenter prçcauentibus ne corporis laborantis natura multum imbecillis fiat, conſulto tenui victu vti, quo ægrotantium corpora ad inſignem ducuntur imbecillitatem præter rationem eſſe

2. de ratiōe victus.

videtur. Quinimmo nisi mihi certo ostendas cómodum quod à tenui victu acute ægrotantibus euenit, maius esse uirium incommodo, insanam esse temeritatem iudico, eo uti cuius damnum manifestum est, ad iumentum uero rationi haud peruiũ est. Quod si methodicus ad hæc. Nihil igitur obstabit quo minus in acutis uinum concedamus quod uires insigniter roborat & breui coctionem recipit, nec in morbi materiam aptum esse ut conuertatur, nec affectum augebit si tenue fuerit & aquosum, sed nec hoc obstructionibus læsioni erit, nam omnes promouere euacuationes asserit Gal. in libris de methodo medendi. Vere quidem si ægrotans assuetus sit, non esse quod inter dicatur uinum tenue & aquosum. Nam quam æstimas esse dispositionem methodice cui maxime aduersum sit uinum, forsan febri acute cum ingenti capitis dolore & mentis læsione, hac constitutione uinum omnino prohibendum esse credideris. In ea ipsa tamen dispositione ante dictum uinum si uestrum concessisse Hyp. audias, an'ne mutabis sententiam & rectius post hac ægrotantibus consules, & saluberrimum esse iudicabis, naturæ vires modo quo possis augere, præcipue ubi citra effatu dignum incommodum id efficere possis. Hyp. igitur ita scribit cum vero in huiusmodi morbis fortem capitis grauitatem vel mentis læsionem suspicatus fueris, à vino penitus est abstinendum, aquam'que tunc dare oportet vel vinum aquosum flauum'que & prorsus inodorum, atque ab ipsius potione aquæ exiguum super bibendum. Nam hoc modo vini potentia caput, mentem'que minus tentabit. V ali-

8. de methodo.

In 3. de rōne victus.

dum ex dictis Hyp. summi potest argumentum, in omni morbi constitutione assueto ægrotanti aquosum vinum à rationali medico concedi posse, vt in pleuritide affectu quamuis maxime crudo existente, vt habetur ab eodem vbi ita scribit. Et si morbus siccior, quàm vt quispiam existimet fuerit, non multum dare oportet, sed ante sorbitionem vel mulsam vel vinum vtrum magis auxiliaturum putaueris propinare cõuenit. An non percipis ante dictæ constitutioni vinum & si tenue & aquosum noxa non vacare, cuius causa Hyp. exiguum aquæ super bibendum præcipit. Commodum tamen quod ab eo incorroboranda natura sequitur, maius esse suspicandum ideo esse, quia alioquin non concessisset Hyp. stantibus forti capitis grauitate & mentis læsione. Hucusque illius rationes qui crasso semper victu hoc est qui vires laborantis augeat in quibuscunque morbis vtendum esse opinatur. Qui vero in acutis, tenuem qui vires minuat ministrandum fore contendunt sic breuiter ratiocinantur.

In 1. de rõne victus.

CAP. II.

AT qui paroxismo sæuiente inquieto febricitanti præ igneo calore æstuanti pedes & brachia huc & illuc iactanti sitim linguę que ariditatem ægre ferenti, cibum offeremus, an paroxismi inclinationẽ expectabimus. Nullus profectò qui mẽtis sit compos ęgrotanti paroxismo ita sæuiente cibum ministrabit. Proinde cum plures sint morbi quos recentiores perperacutos vocant, qui ab initio ad morbi manifestam inclinationem similes labores prædictis & plures & vehemen-

tiores afferunt, nec intermissionem habent, cibum ne iis qui vires augere valeat an qui minuat ministrabimus. Ego quidem tantum abest vt crasso victu qui vires augeat sic laborantem nutriam, vt omnimoda inedia hominem ad morbi inclinationem seruare opus esse crediderim. Qua in sententia Hyp. & Gal. esse certum est. Nec præter rationem nam si illud verum est quantumcunque quis sæuiente paroxismo ediderit nocumento esse, vnde monstrante experientia asseruit Hyp. apponere læsionem esse, quod cum in periodica febre in qua errores minus periculi afferunt hoc facere ob timorem læsionis veremur, causatius profectò in peracutis cibum non esse offerendum in quibus certum est citra magnam læsionem ministrari non posse. Nam si in ventrem absorptus fuerit cibus quod redũdat superfluit'q; si alias multo magis in acutis tolere est difficile vt scripsit Gal. Præterea cum inflamatio in aliqua parte excitatur ab humoris effluxu siue phlegmone aut erisipelas sit, non aduertisti nullum cibum quantumcunque leuissimum fluxione durante laborantes citra læsionem posse sumere, quando quidem à cibo dolores & fluxus insigniter crescunt. Cũque hæc ita se habeant nunquam inducar vt rationibus mihi persuadeas cum ęgrotans vel ab ipsa morbi vehementia vel ab aliquo dolore minis molestatur crassum cibum offerre ex vsu esse. Quinimmo cum Hyp sentio in primo de victu acutorum vbi ita scribit postea si dolor vel periculum aliquod comparuerit sorbitionem dare oportet neq; multam neque crassam sed post septimum vel nonum si va

2. lib. de ratione victus in illo ciboꝝ asit adiectioni.

lidus sit. Vbi igitur morbus statim ab initio maxima affert symptomata omnimoda inedia ægrum seruare ad morbi inclinationem, si virtus sufficiat, rectius esse iudicat, quàm cibum offerre qui citra insignem læsionem tali morbi constitutione exhiberi non potest. In qua sententia Hyp. esse cũ ita scribit, ciborum autem adiectioni intendendum multo minus subtrahere vero sæpenumero expedit cum æger sufficere possit donec morbus maturescat. In reliquis ab hac vehementia degenerantibus morbis tenuem aut tenuissimum concedendum esse victum, tutiusque esse in ijs ad magis tenuem a iusto ab errando accedere, quam ad crassiorem. quod valida ratione ostẽditur. Pone morbo acuto laborare Socratem est ne aliquis cibus qui morbo & naturæ Socratis & cæteris exacte conueniat, dicatur ille medius, omnia cibaria quæ illo tenuiora sunt haud quaquam conuenient propter virium diminutionem quæcunque illo crassiora incommoda sunt propter morbi additionem. Sed cum acuti morbi vt plurimum iuuenibus aut consistentibus accidant quorum vires maxime tunc vigent, manifestum est quod in ijs magis vrgebit morbus quàm virtutis imbecillitas. Addere modo in id quod vrget periculosius cum sit quàm in id quod non vrget aut minus vrget, manifestum est in acutis deterius esse & magis periculosum crassiorem cibum vt pote qui in morbum vrgentem addit, quàm magis tenuẽ qui virtutem cuius imbecillitas non vrget exoluat.

In 2. de rõne victus

CAP. III.

QVid de ijs sentiam in præsenti breuiter ostendam, idquod maxime in artis operibus post longam considerationem magis probauerim. Eam enim esse artis vtilitatem, inuenire ea quæ ægris conducibiliora sunt. Nunc mihi præbete aures de ratione victus vobis aliqua dicturo, quæ animos vestros componant. qua quidem in re vnum insequor Hypp. cuius scripta vltra humanam eruditionem quid præstant, huic acceptum fero quæ de victus ratione vobis dixero. Sed prius dubitationem soluere expediet. Crassum victũ, tenuem, tenuissimum, primus Hyp. dixit in Apho. Quid tamen per hæc nomina intelligat ex libris de ratione victus ellici potest, apertius tamen in libro de Prisca medicina, vbi ita scribit. Qui vero medicinam excogitauerunt inuenerunt ve, sententiam opinionem ve habuerunt quam illi de quibus prius dixeramus, primum quidem arbitror ex eorundem ciborum copia quid sub traxerunt & pro multis pauca fecerunt & dederunt. Cunque hoc illis satis non videretur non enim languentibus hæc æquo modo proderant, sed erant nonnulli qui sic haberent vti ne exiguos quidem cibos superare possent, hos itaque putarũt imbecillioris cuiusdam rei egere. Propterea sorbitiones inuenerunt paulum quid firmioris & robustæ materiæ multa aqua cõmiscentes, quod inerat validum mixtione & coctura sub trahebant minuebant'que, quicunque vero nec sorbitiones poterant superare eos ad pocula deducebant, hæc'que vsu & copia obseruãdo quod mo

dice ac æquo quodãmodo haberet, nec plusquam opor teret, nec minus, nec meratius, nec dilutius, nec serius, propinabant. Hoc autem probe scire oportet, quibus sorbitiones in morbis non conferunt, & considerare nam cum fecerint febres irritantur, & crescunt dolores, clarumque fit quod propinatur & infertur, morbo quidem nutrimentum & incrementum esse, corpori vero tabem malum & exitium. Quibus autem sic habentibus siccus cibus panis placenta puls mazaue et si pusillum datur, decuplo magis malũ crescit quàm si sorbitio, nullam aliam ob causam nisi cibi vehementia quæ ad malum quo quis afficitur non facit. Nam cui sorbere cõfert comedere vero minime, hic si plusculum assumat magis afficitur, cuius lãguoris causa huc referatur. Nã quæ validæ materiæ sunt maxime & apertissime sanum lædunt, nedum languentem. Hucusque Hyp. aut thesalus eius filius. In quibus verbis triplicem designauit victum, nempe quæ comeduntur, sorbentur, & bibuntur, nempe crassum tenuem & tenuissimum. In apho. quartum addidit nempe vltimo tenuissimum quem recte Gal. omnimodam cibi & potus abstinentiam interpretatus est. Vt ipse aperte secundo de victu acutorum ostendit. Ita vt totus victus quadrifariam diuidatur nempe in ea quæ comeduntur, sorbentur, & bibuntur, & in omnimodam cibi et potus abstinentiam. Verum si ea quæ sorbentur bifariam partiaris nempe in crassam & enuem sorbitionem, habebis differentias in quas omnes. Hyp. victũ partitus est. Verum quattuor ex ijs sunt quæ acute ægrotantibus con=

ueniunt nempe crassa sorbitio, tenuis, pocula, & omnimoda abstinentia, quorum meminit Hyp. in libris de ratione victus in acutis. Crassæ sorbitionis in primo, cum de eo victu agit quem hordei substantia præstat duplicem ab eo sorbitionem parans, nempe crassam & tenuem, illam absolute ptisanam aut totam vocat ptisanam aut hordeaceam, & est quæ post integram hordei coctionem non collatur, hanc cremorem siue succum ptisane nuncupat, & est succus qui post collaturam remanet. Vt scriptum est à Gal. primo de ratione victus in expositione illius talia autem parte plurima prosunt ijs &c. Ea ergo quæ comeduntur crassum, sorbitiones crasse vt tota ptisana tenuem, tenuis sorbitio vt ptisane cremor exacte tenuem, potus vt melicratum tenuissimum, omnimoda abstinentia vltimo tenuissimū victum

Aphō. 1. *constituūt. His omnibus cōsentire Gal. scito in eo apho. tenues & certe diætæ ab eo loco nunc sufficit tantum dicere ad finem. Quo in loco nicolai versio ita habet nunc vero tantum dixisse sufficiat quod in omnibus morbis quibus maximus vigor & iudicatio primis quattuor diebus futura sit modo natura sit fortior, integrā inediam seruare debemus. In quibus vero nō vltra primam septimanam protrahuntur forti existente natura solo vtendum est melicrato, solus autem & hic ipse victus tenuissimus esset nō tamen in extremo &c. Grecus tamen cōtextus duo verba addit hoc modo* νυνὶ δὲ ἀρκεῖ τόγε τοσοῦτον εἰπεῖν ὡς ἐφ' ὧν μὲν ἂν νοσημάτων ἡ ἀκμὴ καὶ ἡ κρίσις ἐν τῇ πρώτῃ μέλλει γένεσθαι τετράδι τῆς δυνάμεως ἰσχυρᾶς ὑπαρχούσης αὐτίκα ἀ-

σιτία

σιτίοισι παντελοῦς τούτους φυλάξομεν ὅπερ ἐστὶν ἐσχάτως λεπτοτάτης διαίτης &c. hoc est nunc vero tantum sufficiat dixisse, nempe in quibus morbis vigor & crisis in primis quattuor diebus futura sit, virtute forti existente, in abstinentia omnimoda hos seruabimus. Quod quidem est vltimum tenuissimi victus. In quibus vero non vltra primam septimanam, forti existente virtute sufficiat melicrato solo vti. Tenuissimus sit hic solus victus, non tamen in vltimo. Ex quibus verbis & ex ijs quæ ad finem Apho. scribit, aperte ostendit per crassum, tenuem, exacte tenuem, tenuissimum, et vltimo tenuissimum victum, intellexisse id, quod supra diximus. Horum quinque victuum generum meminit Hyp. in libris de ratione victus in acutis.

CAP. IIII.

GAl. hyppocratica diuisione nõ contentus, quę ciborum diuersas formas respicit. Eorundem pœnes virium dispositionem variam, quam cibaria diuersa inducunt, aliam denuo diuisionem super addidit. Omnem cibum in crassum symetrum & tenuem diuidens. Vires augere valẽs altmentũ, crassum dicẽs. Seruare, symetrum. Tenuem, minuere. Quæ qualiter sunt intelligenda ve ba, dicere opus est. Nam si crassi symetri & tenuis notiones quas assignauit Gal. respectu virium sanitatis tempore intelligas, nullus vtique symeter victus ægrotantibus daretur, nam satis manifestum est nulli contingere ægrotanti quantumcunque crassis vtatur cibarijs æque robustum in ægritudine seruari ac fuerat ante morbi inuasionem. Quod si ad tempus ægritudi- Aphõ 1.

nis referas tenuis non datur, nam præter omnimodam abstinentiam & aquam frigidam, quem nam assignabis victum qui ex sui ratione vires ægrotantis imminuat. Ego quidem nullum esse victum quantũcunque tenuem qui vires, acuto morbo ægrotantis, non augeat existimo. Nam si ptisanam dicas, audias Gal. in primo de victu acutorum in expositione illius at si os madescat vbi ita de ptisana sentit. Ergo qui probe expurgantur inquit, his ptisanam dare oportet, non vt virtutem modo roboret, verum quoq; & his quæ per tusses ex pulmone fiũt humidorum expuitionibus opem ferant. In quo quidem contextu sic habet ioannis vassei versio. Sed apertius gręcus contextus id quod proposuimus ostendit, nã propositionem affirmatiuam facit, in hunc modum. Dare igitur oportet probe expurgatis ptisanam, causa roborandi virtutem &c. Audisti ptisanam virtutem roborare posse. Idem de mulsa ab eodem intelliges tertio de ratione victus in expositione illius vini autem et mellis &c. Vbi copiosiorẽ ex mulsa nutritionẽ asserit, quã ex vino. Idẽ apertius ostendit in expositione illius damnata autẽ propterea &c. Non ob id ergo tenuem dixisse victum putandum est quod ægrotantis vires minuat. Crassi igitur victus, symetri, & tenuis rationes, sanis referendas esse, vt crassum eum victum dicas, qui sani corporis vires augere possit. Symetrum qui eiusdem vires seruare. Tenuem eum qui sani corporis vires haud quaquam seruare valeat. Hunc acute ægrotantibus conuenire scribit. In chronicis vero morbis vires esse seruandas symetro victu, hoc est talem esse victum offerẽdum

qui laborantis cum sanus erat vires seruare posset. Te
nuem igitur qui sano socrati vires seruare non poterat
acuta febre ægrotanti & iam imbecilliori effecto si mi
nistres easdem augebit. Nam non aliter quàm si in in-
genti pira vt ignem eadem serues magnitudine, certa li
gnorum multitudine opus est. Quod si eundem auge-
re, maiori. Finge nunc ignem aut ob aquæ effusionem,
aut ob quodcunque sit imminutum, minori profectò li-
gnorum congerie seruabis, & augebis. Consimiliter ho
minum corpora, cum prospera fruũtur valitudine cras
so cibo & multo indigent vt virium robur seruetur,
aut augeatur. Cum ob morbos virtus corporis imbecil
lis est affecta subtiliori cibo & eius minori copia et ser
uari & augeri possunt. Quare mirum non est si à mel
licrato, vino, oximelite, & similibus vires acute ægro-
tantium augeantur. Cuius euidens præstant argumen
tum viatores & operarij. Cum integra die à cibo &
potu abstinuere, hos vespere vix corporis onus substi-
nere posse. His tunc temporis mellis & aquæ parum si
porrigas, alacriores eos ad opus reddes. Hoc ita esse,
ostendit Ionatham Saulis hæbreorum regis filius, qui
vires resumpsit, id mellis gustans quod extremæ virgæ
inhæsit. Non est igitur quod acuto morbo laborantis
vires, mellicrato augeri non posse credamus. Cum ergo
in artis operibus id verum esse probemus, nempe cibũ
& si tenuissimum acute ægrotantis vires augere posse,
nullus vtiq; tenuis dabitur cibus, sed omnis crassus erit,
si crassi & tenuis rationes ad ægritudinis tempus &
non sanitatis referas. Sed non ab re fuerit verba Gal. in

*præsenti græce adducere quandoquidem de ijs con=
tentio est vt sciatis quantum dictis conueniant.* λεπτὴ
δὲ δι' ὀλίγων ἐδεσμάτων ἢ δι' ὀλιγοτρόφων οἷον περ
καὶ ὁ τῆς πτισάνης ἐστὶ χύλος ὅρος δ' αὐτῆς ἡ τῆς
δυνάμεως ἐστὶ καθαίρεσις ἧς πὲρ ἕνεκα καὶ τρέφο-
μεν ἰωθὶ μὲν οὖν τῶν ὑγιαινόντων ἀεὶ χρὴ τὴν ῥώ=
μην τῆς δυνάμεως φυλάττειν ἢ παράξειν ταῖς τρο=
φαῖς οὐ καθαιρεῖν καὶ εἴη ἂν ἡ μὲν παράξουσα τροφὴ
ἁδρὰ ἡ δὲ φυλάττουσα σύμετρος ἡ δὲ καθαιρού=
σα λεπτὴ *hoc est tenuis victus per pauca edulia vel
per ea quæ parum nutriunt, quale est ptisane succus, ter
minus ipsius, virtutis est imminutio. Cuius causa nutri=
mus. Insanis igitur semper oportet robur virtutis serua
re, vel augere alimentis, non minuere, & statim clausu
la non finita ita ait ijs quæ de sanis dixerat sequentia
annectens. Et sit quidē augens alimentum crassum, ser=
uans vero symetrum, imminuēs tenue, hoc inquit fuge=
re oportet semper, subintellige in chronicis, aliorum
vtro magis indgeant præsentia ipso vti. In ægrotanti=
bus raro contingit virtutem fortiorem quàm acceperi=
mus operari. Dixit raro ethicos & marasmo confectos
excipiens, quorum virtutem laboramus singulis diebus
robustiorem efficere alimentorum successiuo incremen
to. Damus operam vt in pluribus seruare in chronicis,
mensurate quidem imminutam conseruare in acutis, si
enim seruare ipsam qualem acceperimus in ijs, vel auge
re semper properaremus, addemus in morbum. Ex qui
bus verbis colligitur in chronicis dandam esse operam
vt cibo & potu id virium quod à morbo absumitur*

quoad fieri possit reponamus. In acutis vero id non dari. Satisque esse si partem detrimenti virium, tenuis victus ope resarciamus. Maiorem & modo minorem prout nobis virtutem posse sufficere visum fuerit. Et hoc est quod dixit mensurate quidem imminutam conseruare in acutis. Ea ergo quæ comeduntur crassum victum constituunt, ob id quod eo victu sanorum corpora seruantur & augentur, sorbitiones vero tenuem, nam vires sanorum ab ijs seruari non posse si eis solũmodo vtantur. Pocula tenuissimum, maximum siquidem virium detrimentum patientur sana corpora, aliquot diebus ab ijs solummodo alimoniam suscipientia.

CAP. V.

ALiter tenuis victus ratio intelligatur, prout Gal. exposuit in eo loco damnata autem propterea &c. Vbi ĩbecillitare & nullo pacto nutrire & parũ nutrire non idem esse ait. Diminuunt inquit vires, sanguinis eruptio, deiectio superflua, sudor immodicus, & per accidens cibi abstinentia, hæc vere imbecillitare dicuntur. At quæ nullo pacto nutriunt vt aqua eã imbecillitare nec roborare vires quispiam vere dixerit, nisi id per accidens contingat. Tertio sunt loco quæ exigue nutriunt, & potuisset quidem si quis solis ipsis vsus fuerit, mori, non equidem quia vires diminuunt, sed quia non sufficienter roborant. Ex his est mulsa, nam si quis diebus quattuor cibo priuatus interire possit, his mulsę vsu, non quintam modo diem, verum quoque & sextam attinget. Ex ijs elicitur verbis quod cum in apho. dixit detenui loquens victu, ĥ δὲ

3. de ratiõe victus.

λεπτὴ νεκθαιροῦσα, hoc est imminuens tenuis, nō quia vere vires imminuat dixit, sed quia non sufficienter roborat. Danda est ergo opera vt ægrotantis vires cibo tantisper augeamus, quatenus id citra manifestam læsionem fieri possit. Longa didici consideratione quod postea à Dionysio medico patre meo, viro apud lusitanos clarissimo, ægrotantibus quibuscunque saluberrimum esse, medicum id agere vt virtutem citra morbi aut eius durationis additionem, roboret. Qua de causa inuente sunt ab antiquis sorbitiones & pocula acutis morbis victus idonei, qui sanè ægrotantis vires citra noxam augeant, & facile ab imbecilli superentur natura. Quorum vnum aut altero prout morbi cōstitutio est vtūtur.

CAP. VI.

HIs ita determinatis methodum de recto febricitantibus ministrando victu, īcipiā breuiori & faciliori quam possim via. quinque habet victus debita administratio cōsiderationes, nempe victus formæ, quā græci διαίτης σχῆμα vocant, deinde quantitatis, qualitatis, numeri, & horæ, horum singula in vestiganda fore à medico qui victum ægrotantibus conuenientem ministraturus sit. Victus forma à virtutis robore & status distantia sumitur, vt scribitur libro Apho. Vt si longe fuerit morbi status symetro vtemur victu, quod si prope tenui, tenuissimo vero, si propiissime, quod si iam affuerit, vltimo tenuissimo. Ad hæc virtus corporis cōsideranda est, an talem victus speciem ferat, quam status distantia præscripserit. Verum in hoc negotio primum quærere oportet, an recte à distantia

ſtatus & à virtutis robore, victus formam inquirere oporteat. An potius cum virtute, morbi diſpoſitionem conſiderandam eſſe, vt recte victum ægrotantibus diffinire poſſimus. Rationales medici qui Hyp. inſequuntur à virtutis robore & à diſtantia ſtatus victus formam inueſtigandam ideo eſſe opinantur, quod ſola corporis virtus ſit, quæ cibum pro ſui cuſtodia indiget. Nam vt vitale robur ſeruemus, ideo cibũ ægrotantibus exhibemus. Vt ſcripſit Gal. in expoſitione illius poſtea ſi dolor &c. Virtus igitur pro ſui cuſtodia eum cibum indicat quo maxime ſeruari poſſit. Morbus autem talem diffinit, vt eo ad vigorem, ſolum ſufficere poſſit ægrotans. Nam apud hunc, morborum iudicia ad ſalutem aut ad mortem fiunt. Eo vſque igitur virtutem ſeruare cibo oportet. Craſſiorem vero exhibere quo vltra durare queat, damno erit, nam morbum augebimus. Nam ſi morboſam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos virtuti ſoli attendentes, ægros vt ſanos aleremus. Sed quia ſæpius noxam vti oſtendimus affert, ob id morbi affectionem non tanquam cibi indicatricem, ſed tanquam prohibitricem contemplamur, vt Gal. prudenter citato loco ſcripſit. Virtus ergo pro ſui cuſtodia omnem cibum indicat, quem apparare poſſit, ab hoc morbus omnem abſcindit, quo vltra vigorem durare queat ægrotans. Id tunc conijcimus, cum eo ſubtiliori ſcimus ad ſtatum durare poſſe. Quare ſi ad vigorem vſque ſufficere poſſe ægrotantem exiſtimemus ſolo victu per pocula, ſorbitiones non dabimus. Sed nec ea quæ comeduntur, id'que ob morbi rationem vt

In 1. de rõne victus.

ſcite ab Hyp. ſcriptum eſt in hęc verba. Poſtea ſi dolor quiſpiam vel periculum comparuerit, ſorbitionem dare oportet, neque multam neque craſſam ſed poſt ſeptimum aut nonum ſi validus ſit. Audis Hyp. ſorbitione ſuperſedere ad ſeptimum aut nonum vſque, cum in eis iudicationem futuram ſperamus, vbi æger citra ſorbitionem eo uſque poſſit ſufficere. In cuius expoſitione Gal. ita ſcribit. Cum igitur virtus ad morbi vſque iudicationem ſine ptiſane ſorbitione ſuffecerit, oximeli & aqua mulſa ſatis ſunt &c. Ex quibus manifeſtum eſt victum eum eligendum fore, quo cum corporis virtus ſufficiat & eo ſubtiliori non. An non'ne id ab eodẽ loco citato colligimus, vbi ita ait. At ſi iudicationẽ ſeptima die citius futuram ſperaueris vt verbi gratia vel quarta vel quinta ægros ſanè multos ſufficere citra ptiſane ſorbitionem poſſe comperies, quod ſi ad ſeptimam vſq; protrahatur paucos omnino. Qui igitur citra ptiſanam ſufficere poſſunt, ijs oximeli & aquam mulſam exhibere docuit. Qui vero non, ptiſanam. Quinimmo ſi abſq; cibo & potu ad iudicationem vſque durare poſſe ſperemus, omnimodã ei inediam conſulemus. Vt ipſe Hyp. aperte monuit ſecundo eiuſdem de ratione victus vbi ita ait. Ciborum autem adiectioni intendendum multo minus, ſubtrahere uero omnino ſæpenumero expedit, cum æger ſufficere poſſit donec matureſcat morbus. Quod Gal. cõfirmat in hæc uerba. Nempe ſi æger ad morbi uſque uigorem ſine cibo ſufficere poſſe uideatur, in omni ciborum abſtinentia eum & potu ſolo cum tibi uidebitur neceſſitas moderaberis. Vocetur autem

Idẽ eodem 2. in expõne illius iterdum autem & cruda.

ille uictus quoad statum sufficit ægrotans & eo subtiliori non, medius, hoc subtiliorem exhibentibus corporis victus exoluitur, morbus autem incrementum assumit, eo crassiorem ministrantibus. Quare rationabiliter à distantia status tanquam à termino ad quem vsque ducendus sit æger, uictus formam inuestigandam esse rationales opinantur. Nec hoc in arte medica solum didiscimus, uerum in rebus humanis id licet obseruare. Prudentem uiatorem quingenta profecturum miliaria, haud nimis festine æquitare. Sed moderato ducere æquum incessu & labores diurnos nocturna temperat quiete. Nec solum labori modum imponit, verum & cibo quo æquum nutriri oportet, ut eo durare possit. Quod si unius diei acturus sit iter, haud necessarium putat quicquam obseruare. Nonne idem nauigantes obseruare uidemus. Nullum quidem sibi parant uiaticum, qui à Calesijs in Angliam se recipiunt. Non sic qui à Venetijs Epidaurum rhagusiorum oppidum proficiscuntur. Iis longe dissimile quod lusitani indos petituri magnis parant expensis. Ii omnes non ab alio viatici rationem sumunt, quàm ab itineris mora. Consimiliter in arte medica ægrotantibus victus formam sumendam à distantia status recte quis ratiocinetur. Nam proxime huic adsunt morborum iudicia alterutrum exitum minantia. Sed age, si à distantia status victus formam non quæras. A quo nam altero vltra virtutem indicationem sumes. A morbi dispositione forsan ais, sed cum singulis morborum quattuor adsint dispositiones, quarum differentiam sensu licet perci

pere, nempe principium augmentum statum & inclinationem. A' qua nam harum victus formam sumendam putas. Proinde cum apud principia & fines omnia sint imbecilliora, apud statum vehementiora, crassiorē quàm expediat ministrabis si ab illis, aut plus iusto tenuem si ab ijs, indicationem victus sumas. Præterea cum nulla sit morbi dispositio quæ cibum indicet sed omnis prohibeat, vt supra ostensum est, cumque alio sit alius acutior & vehementior morbus, non ex æquo omnes pariter prohibebunt, sed unus magis alio. Cúq; virtus eum semper victum indicet quo maxime seruari possit, quem ab ijs duobus quorum alterum vnum indicat & id alterum prohibet ellicere possis victum. Finge virtutem pro sui custodia victum indicare per ea quæ comeduntur, si morbus multū dissuadeat, quid ab eo victu detrahes, quid'ue cum parum prohibuerit. Insuper vnde similes in detractionibus scias aut possis proportiones obseruare, ac in morborum dispositionibus erant. Cæterum non obstiterit, plures esse morbos, qui inæqualiter ægrotantes affligant, ita vt hodie mitius habeant, in crastinum deterius degant. Modo absque febre vlla, postmodum magno æstu exagitentur. Aliquando dolores labores'ue patiantur, quandoque nullo symptomate infestentur. Non ob id fieri non posse, vt una uictus forma, morbis inæqualiter affligentibus conueniat. Nam & si non eadem ratio in die accessionis & in die quietiori habenda sit, quo maxime differre oporteat, non uictum esse, sed tempus quo inoxie cibum offeras. Eandem nanque ui-

ctus formam quam à robore uirtutis & à distantia status sumpsisti, perpetuo ab initio morbi ad statum seruare oportet. Sed tempus obseruare expedit quo inoxie cibum offeras. Nam in paroxismis subtrahere oportet, apponere enim læsio ut in apho. scriptum est. Vnde licet colligere ab uniuersali uictu formam, à particulari uero qui singulis accessionibus conueniat, cibationis idoneum tempus suppeditari. Quod manifestius alibi scripsit in hæc uerba. Tēpus autem dandæ sorbitionis tum per initia tum per omnem morbi decursum, nam si pedes frigidi fuerint non à sorbitione modo, uerū quoque & maxime à potu temperandum. At cum caliditas ad pedes descenderit, tunc dare expedit. Idem sub alijs uerbis dixit. Cum purgaueris inquit sorbitionibus quibusdam utitor, obseruatis ita febrium accessionibus ut nunquam cum adsint neque cum futuræ sint exhibeas, sed uel cum cessant uel quieuerunt & maxime à principio recesserunt. Frigentibus ergo pedibus, neque potum, neque sorbitiones, neque aliud quippiam huiusmodi dabis. Sentis in ijs duobus locis Hyp. de particulari uictu egisse, ut singulis conuenit accessionibus, ubi nihil à totius uictus ratione diuersum docuit, quàm tempus cibationis idoneum. Idem intelligendum est dedisse in apho. perceptum, cum dixit in paroxismis subtrahere oportet, quod confirmat Gal. citans in expositione locum Hyp. quem supra adduximus quarto de ratione uictus. Non igitur eo quod morbi inæqualiter affligant alio utemur uictu quàm uirtus & distantia status indicarunt, ut aduersari opinantur.

In 2. de rōne victus

4. de rōne victus.

CAP. VII.

VErum eorum qui contra ſentiunt, rationes audire oportet. Haud *facile eſſe in arte medica methodum tradere, qua id quod eſt, tale eſſe dignoſcamus, nedum quale illud futurum ſit.* Difficilima *quidem in omni arte præcognitio eſt. quapropter facilius à virtute & morbi diſpoſitione victus formam eliciemus, quam à diſtantia ſtatus qui nondum eſt.* Sed *quod certius hinc, manifeſtum erit.* Cognoſcere *quæ nam ſit ægritudo, & quas habeat cauſas, & quibus nam commitata ſit ſymptomatibus, quàm quæ pernitioſa ſint, certius ſciri poſſunt in arte medica, quàm præſciri.* Minus *præterea errori obnoxius eſt, qui à diſpoſitione morbi cum virtute victus formam inquirunt, quàm qui à diſtantia ſtatus.* Nam *conſiderantes quod eſt, ob mutationes decipi nō poſſunt.* Prout *accidit ijs qui quale quicquam erit conſiderant.* Conijciens *medicus ab initio morbi, eius acumen, talem fore ad ſeptimum aut nonum æſtimat.* Hac *nixus æſtimatione victum inueſtigat, quem & nunc & in poſterum ad illud vſque tempus ægrotanti miniſtraturus ſit.* Sed *quantum decipi poſſit aduerte.* Quot *ſunt quæſo morbi, qui vltra incrementa periodica & decrementa inæqualiter moueantur.* Ita *vt tribus aut primis quattuor diebus ægrotantes grauiter affligant, totidem poſtea aut plus minus'ue citra iuditium intermittant.* Deinde *iterū increſcant & luceant & ad priſtinam vehementiam redeant.* Aut *ſi contra mutatio fiat.* Poſſis *ne in his methodice, viſo ab initio morbi acumine, aut ſegnitie, qualis erit ad quintum*

aut ſeptimum aut in ſequentes dies certo conijcere. Vt ex hac coniectura diſtantiam ſtatus adipiſcaris à qua demum victus formam diffinias. Cunq; in eo quod primum præcognoſcendum ſumpſiſti non parum à veritate aberres, haud leuiter in eo quod vltimum eſt, in ęgrotantem peccabis. Nam paruus error in principio maximus eſt in fine. quod ſi in morbis haud cōtingere huiuſmodi mutationes dicas, Hyp. libros de morbis vulgaribus reuolue. In quibus nō paucis hoc accidiſſe inuenias ægrotātibus. Cæterū de certitudine mittamus ſermonē, et aliquātulū perſpicatius rē tractemus. Virtutem eum ſemper victum indicare ais, quo maxime ſeruari poſſit. Deinde ſtatus diſtantiam talem diffinire, quo eo vſque ſufficiat ægrotans, & eo ſubtiliori non. Vocaśq; hunc victum medium, craſſiori non vteris, ne in morbum addas, ſed nec magis tenui, ne plus iuſto virtutem exoluas, & ob id ante ſtatum deficiat. Age methodice laboranti Socrati victum quem medium vocas miniſtras, quo ad morbi vigorem poſſe ſufficere æſtimaſti. Quid per illud verbum ſufficere intelligis. An aliud ab eo quod Hyp. in Apho. intellexit, qui primus illo in hac re vſus eſt verbo. Cum ait συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νόσου, *id eſt conijcere oportet laborantem ſi ſufficiat cum victu ad ſtatum ægritudinis. Vbi an perdurare poſſit tali victu toto inter medio tempore ad ſtatum vſque intellexiſſe, ipſe ſtatim oſtendit, in eo verbo quod ſequitur* καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον, *hoc eſt vtrum ille deficiat prius. Qua etiam ſi*

gnificatione verbum illud intellexit Gal. vt ab expositione licet conijcere, victum ergo talem ministrare laboranti socrati intendis, quo perdurare possit toto interinedio tempore ad statum vsque. Quod si id simpliciter intelligas, verbique significationem minime restringas, modo quocunque ad statum tali victu perducatur Socrates sat esse. Quid si adeo imbecillis tui victus ope eo perueniat vt nulli quantum vis mitissimo morbo sit aptus obsistere, nedum morbo maxime apud vigorem sæuiente. An te obtinuisse putabis cum talem victum laboranti Socrati longam post meditationem inueneris. An hoc est cur palles. Forsan illud verbum ais, non fore simpliciter intelligendum, sed sufficere ad statum vsque, tunc intelligis, cum apud vigorem aliquale ægrotantis vires robur obtineant. Et si hoc detur, alia vtaris nota oportebit, rem indiuiduam nobis significante. Nam illud tuum aliquale nimis ample patet, nam ea via, oĩs crassus victus socrati conueniret. Nullumq́ꝫ damnare posses victum ob crassitiem. quod si virium robur tantum exposcas, vt morbificas possit debellare causas et morbi i cursibus obsistere. Ridiculum caput, si hoc quod postulas methodice præstare victus posset, nulla esset adeo pernitiosa ægritudo, quæ non victus ope medicari posset. quod si ita rem habere contẽdas scias saltem, hoc tuum latuisse Hyp. sed ijs omissis fateberis id saltem, apud morbi vigorem labores & symptomata multo vehemẽtiora fieri, quam ante, vt à vestro scriptum est Gal. cum dixit de vigore loquens,
1. Aphõr. μέγιστον τοῦ νοσήματος ὡς ἐν συμπτώμασι, hoc est vi

gor nihil aliud est, quam maximũ morbi vt in sympto=matibus. Putas ergo sat esse qualicunque virium ro=bore eo perducatur æger, cum tunc maximus sit morbi conflictus. An salubrius fore ægrotanti, si de=mus operam vt citra morbi additionem, ægrotantẽ ro=bustiorem quantum possimus ad statum perducamus. Quis hoc dãnabit methodice, non tu, si vera & ægro tantibus salubria sequeris dogmata. Cũque hoc ita sit, finge Socratem citra sorbitionem ad statum sufficere posse, pocula ei ministrabis, vt pote quæ minus alimẽ ti præstant. Scis ne eo victu Socratem sufficienti viri=um robore ad statum peruenturum, hoc quamuis iu=ranti tibi vix credam. Sorbitionibus quare non uteris. Nam ijs usus robustior esset apud vigorem. Forsan ais, quia in morbum addent. Vnde hoc scis quæso, an à distantia status id conijcis, uel potius à morbi disposi tione uel acumine. Quod si dicas, cum statum præco=gnouero, fieri nequit quin morbi dispositionem cogno=scam. Cedo, sed quod horum prius cognoueris dicas, nam id manifestius & certius scies. Ea enim quæ prin cipiorum vicem obtinent, semper manifesta magis sunt, ijs quæ ab eis deducuntur. Cumque à morbi dispo=sitione, status distantiam præcognoscas, morbi disposi=tionem euidẽtius cognosces, quam status distãtiã. quare certius & magis citra errorẽ à morbi dispõne & acu=mine conijcies, an sorbitiones laborãti Socrati noceãt, q̃ si idem à distantia status iudicare velis, esset enim tuũ non paucis erroribus iudicium obnoxium. Quare cum in inquisitione formæ victus, morbus non tanquam indi

cans ſed prohibens admittatur, vt rationales omnes fatentur. Prohibet autem inquãtum victus in morbum, aut in eius auget ſymptomata. Id'que cũ à diſpoſitione morbi euidentius dignoſcatur, rectius eſſe à virtute & morbi diſpoſitione, victus formam inueſtigare, quàm à diſtantia ſtatus. Ad hæc vires corporum & ſi hora præſenti conijcias, non ob id quales futuræ ſint in poſterum ab initio recte æſtimari poſſunt. Nam multoties euenit, virtutes corporum exolui pluſquam æſtimarat medicus. Aut ob corporis habitum aut naturam aut ob morbi aliquod irritatorium ſymptoma. quare ſi vt uitale robur ſeruetur, ideo cibus ęgrotantibus exhibetur. Hoc non ſimiliter ſed morbo procedente nonnunquam præter medici opinionem diſponatur, fieri non poteſt vt à diſtantia ſtatus & à virium robore prout eſt in initio, conuenientem victum tum naturæ laborantis per totum morbi decurſum ad ſtatum vſque, tum morbo ob inæquales mutationes eliciamus. Sed ſint omnia vt vis methodice. Scito non ſatis eſſe in arte medica, vera dogmata docuiſſe, niſi in artis operibus vtilia fore ęgrotantibus probentur. Vtilitas enim artis non eſt vera diſerere, ſed remedia inuenire quibus æger ſanetur, aut iuuetur. Neque ſatis eſſe ſi vera & utilia tradideris dogmata, ſed tradere oportet via adeo perſpicua, vt plebi ſi liceat res ĩnoteſcat. Sic enim id quod humano generi ſalubre ſperamus communiſſimum faciemus. Quod ſi aliter ſit, demittenda eſſe ea dogmata, ad quæ percipienda, aut operibus probanda, difficilis datur via. quapropter cum præcognitionis ſtatus difficilis admodum

ſit

sit scientia, & ab ijs solummodo adepta medicis, qui vires omnium quæ in arte sunt probe didicerint, memoriæ mandauerint, omnique diligentia in artis operibus se exercuerint. Paucique cum tales existãt, patet demittendam hanc viam esse, vt quæ à viris dũtaxat doctissimis percipi possit. Quare cum facilius & certiori modo res inuestigari possit à morbi dispositione, manifestum est hanc uiam eligendam esse in inuestigatione formæ victus.

CAP. VIII.

QVam non esse præter senis mentem paucis accipe, vt qui primus à morbi dispositione & virtutis robore, victus formam inuestigauerit in libro apho. Vbi ita scribit vbi morbus peracutus est & illico extremos labores habet extreme tenuissimo victu necessarium est vti. Per labores accessiones & symptomata intellexit quæ morbi dispositiones sunt. Maxime acuto morbo inediam adhibendam consuluit quæ extreme tenuissimus est victus. Et infra ait vbi vero non, sed conuenit crassius reficere, tantum sub condescendere oportet, quãtum morbus extremis est mollior. Quibus in verbis apertissime Hyp. victum à morbi dispositione seu constitutione inuestigasse videtur. In eo insuper qui sequitur cum morbus inquit in suo constiterit vigore, tenuissimo victu necessarium est vti. In quo maximum morbi esse in symptomatibus scimus. Eadem in commentarijs de ratione victus via, victus formam inuestigat. Vt in primo de pleuritide agens ita scribit, postea si dolor quispiam vel periculum comparuerit, sor-

bitionem dare nec multam neque crassam, sed post septimum aut nonum si validus sit. Idē paulo ante apertius dixit, vbi autem dolor aliquis vexauerit, oximeli bibendum dabis. Sentis ex ijs duobus locis ex dispositione pleuritidis, victum per pocula ministrandum consuluisse. Sed non solum à morbi dispositione competentem victum inuestigare docet, sed noxium ab eadem deprehendi Hyp. docente eodem cōmentario. Vbi ita scribit. Præterea si lateris dolor assiduus est, calidisque fomentis non remititur, sputumque nō procedit, sed summæ glutinosum sit, nisi quis dolorem vel alui subductione vel secta vena, pro vtrius vis exigentia soluerit, ptisanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem. Nec illud tanquam peculiare ptisane fore concipias, nam omnē sorbitionem & multo magis ea quæ comeduntur damnauit, stante tali morbi constitutione seu dispositione. Quod ipse statim monet, præbendunt inquit hæc, non solum si ptisana intempestiue vtantur, verum et multo magis si quippiam aliud ederint aut biberint, quod ptisana inconuenientius sit. Sed vt non teratur tempus in singulis citandis locis, unū adducamus in quo Hypp. omnes ad rectam uictus institutionem scopos collegit. Ex quibus post virtutis robur, morbi dispositionem innumerauit. Conijcere inquit oportet & robur et morbi cuiusque dispositionē, hominis item naturam atque ægrotantis in victu consuetudinem, non in cibis solum, uerum & in potibus &c. Sed hoc idem à Gal. audias tertio cōmentario eiusdem libri in expositione illius. Tutius autem lōge &c. Ptisanam inquit totā

In 2. de rōne victus

porrigit his qui moderate habent. (Nō qui mitius quietius'que habent, vt quidam perperam transtulit) solum uero cremorem ijs qui deterius degunt. Verum ijs qui periculosius acutius'que laborant, potus solos. Ostendimus igitur in ijs quæ dicta sunt, uictus formā à morbi dispositione seu constitutione unà cum uirtutis robore secundum senis mentem inuestigandam esse.

Cap. IX.

VErum hæc non satis esse ad rectam uictus institutionem nisi ijs distantiæ status præcognitionem adiungas. Et si enim à morbi constitutione & à uirtutis robore uictū per pocula conuenientem esse scias in præsenti, non tamen ex his duobus scire posses, citra status præcognitionem an cibo illo in posterum ægrotams sufficiat, citra magnum virium incommodum. Nam si alicuius pedestri itinere quingenta profecturi miliaria robur præsens consideres & vnius diei iter sat esse si hominem pane & melle nutrias &c. Poterit enim eo cibo triginta pertransire ea die miliaria. Quod si reliquū vie consideres, crassiori sibi opus esse nutrimento iudicabis. Ob id igitur diuinus Hyppoc. postquā morborum dispositionem recensisset, subintulit conijcere autem oportet ægrotantem si sufficiat cum diæta ad statum ægritudinis. Non enim sat esse vt robur virtutis quale nunc est consideres, & an talem victum hodie citra virium sensibilem læsionem ferat, sed an toto inter medio tempore ad statum vsque ferre possit. Ob id Hyp. in cōsideratione virtutis, status meminit à morbi igitur dispositione victus formam primum

elicimus. Deinde virtutem laborantis inspicimus. Tertio distantiam status conijcimus. Demum æstimamus an eo victu quem morbi constitutio indicauit, virtus ægrotantis ad statum citra magnum virium incōmodum durare possit. Quapropter status distantiam præcognoscere oportet vltra morbi constitutionem, vt recte ęgrotantibus victum diffinire possimus. In qua sentētia Gal. esse scito in libro aphōrum in eo paroxismos & consistentias. vbi à duobus victus formam inuestigare docet nempe à virtute & morbi constitutione, in qua morbi dispositionem & status distantiam comprehendit. Cuius verba ita habent. Τὸ μὲν τῆς ὅλης διαίτης σχῆμα πρὸς δύο σκοποὺς ἀποβλέπων ἐποιεῖτο τήν τε δύναμιν τοῦ κάμνοντος καὶ τὴν κατάστασιν τοῦ νοσήματος τὸ γὰρ εἴτε κάτοξυ εἴτε ὀξὺ εἴτε χρόνιον ἔσοιτο τὸ νόσημα καὶ ὁπηνίκα μάλιστα τὴν ἀκμὴν ἀπολήψεται, τὴν κατάστασιν ἐστὶ τοῦ νοσήματος σκοπεῖν, hoc est totius victus formam duos respitiens scopos instituit, ægrotantis nempe virtutem & morbi constitutionem, illud enim siue peracutus siue acutus siue chronicus morbus erit, & quando maxime in statu consistet, constōnem morbi est considerare. Vnde male quidam vertit hunc locum in hūc modum, nam si morbus sit peracutus: vel acutus vel longus &c. Litteræ sensum corrūpit & nō transtulit. Ex quibus verbis duo sub cōstitutionis nomine comprehendisse Hyp. nempe morbi acumen, & status distantiam, aperte ostendit Gal. Verum vnde peracutum & acutum cognoscas & discernas & eos qui inter hos medium obtinent locum infra

ostendemus.

CAP. X.

IIs ita determinatis. Morbo peracuto quique intra quartum diem terminandus ſit vltimo tenuiſſimo victu vtemur. Quem ſupra omnimodam ſumus interpetrati abſtinentiam. Sic dixit Hyp. vbi peracutus morbus fuerit & ſtatim vltimos labores habet, vltimo tenuiſſimo victu neceſſarium eſt vti. Per morbum qui ſtatim vltimos labores affert, eum intellige qui intra dies quattuor finire debeat. Et ſubdit vbi vero non, pleniorem victum adhibebimus. Hoc eſt vbi morbus ab vltima ſymptomatum vehementia proxime degenerat, (qualẽ qui ad ſeptimum terminantur, hñt) eo vtemur victu, qui inediæ proximus eſt, talis autẽ eſt victus per pocula vt melicratum, & ſimilia. Huic tali victum per pocula miniſtrandum fore conſentiente virtute aſſerit Gal. in expoſitiõe illius. Poſtea ſi dolor quiſpiã etc. Vbi ita ſcribit, ſi enim validus ad ſeptimum vſque diẽ fuerit, oximeli & melicratum & aquã dare ſatis erit. Per quæ vt dixi tunc liberabitur & ſanabitur. Idem dixit prima Apho. in quibus vero inquit non vltra primam ſeptimanam protrahuntur, forti exiſtente natura ſolo vtendum eſt melicrato &c. Qui vero morbo ſimpliciter acuto laborant, cuius terminus ad duas finitur ſeptimanas craſſa ſorbitione, exempli cauſa, tota ptiſana vti debent. Qui autem morbo acuto laborantes periculi magis participes fiunt, ad vndecimũ terminum habituri, tenui ſorbitione alendi ſunt, vt cremore ptiſane. Hæc ſimiliter ſecundum mentem ſunt Gal. in libris

Primo de rõne victus.

de ratione victus. Iis ergo qui peracuto morbo intra primos quattuor dies terminando laborant, omnimodã conuenire inediam. Cum vero eo morbo laborant qui ad septimum terminari debeat, pocula. Ex ijs duabus victus rationibus quæ ab Hyp. didicimus manifestum fit quibus vtraque sorbitio competat. Nam cum has quattuor victus rationes, acute ægrotantibus cõuenire supra ostenderimus, terminusque acutorum morborum xiiij. sit, manifestum fit quod vtraq; sorbitio ijs competet morbis qui xi. & xiiij. terminum habituri sunt. Cunq; ij qui xi. finiendi sunt morbi, grauius affligant, quàm qui xiiij. ijs tenuẽ exhibendã, qui vero xiiij. crassam fore sorbitionẽ manifestũ est. Morborũ igitur acutorũ ĩtra xiiij. diẽ terminandorum, huiusmodi est victus ratio à morbi cõstitutione diffinita. Hæc autem nihil aliud est quam morbi dispositio, terminos morborum diffiniens. Non immerito igitur ab huius termini distantia, victus ægrotantibus diffiniendi sunt. Cunque quattuor assignentur ab Hyp. in dies xiiij. quatternarij, qui, primam sensibilem differentiam morborum in acumine præstant, quibusq; vt plurimum terminari morbi acuti solent, singulis suã victus spetiem diffiniuit, prout morbi ad inuicem acumine differunt. Ita vt quattuor qui intra dies. xiiij. sunt terminis, quattuor similiter uictus formæ respondeant.

CAP. XI.

SVperest nunc, quibus nam signis febrium singulas quæ ad quartum, & quæ ad septimum, vndecimum, & quartumdecimum terminum habituræ sint noscamus. Maxime enim conducit in arte medica sen-

ſu ea diſcernere quæ cognita ægrotantibus ſalutifera ſunt. Deinde de virtutis robore ſermonem faciemus, vt pote quod non minus indicatiuum eſt formæ victus quàm morbi conſtitutio ut infra oſtendemus. Prius tamen vnum quærere oportet, an committendum ſit aliquo in morbo ægrotantem diebus quattuor omnimoda ſeruare inedia. Res ardua videtur profectò prçter aſſuetudinem hominem incibatum ad diem quartum ducere. Nam vt Hyp. in libro ſecundo de ratione victus ſcribit, oportet diſciplinam quæ conferat ex ſanorum victu facere. In cuius expoſitione Gal. ita ait ſi ſanis læſionem afferant, repentine victus ad contraria mutationes, multo maiorẽ ęgrotãtibus. Ponamus igitur hominem ſanum viribus valentem, aut inualidum, ſi velis, ab aſſueto victu ad quattuor dierum inediam repẽte mutari. Qualem hunc veſperaſcente die quarta fore æſtimas. Profectò ſi mortuus nõ fuerit, ſemi mortuus iacebit, collapſis viribus, qui an cibo & potu refici poſſit, necne, non parum dubito. Cum igitur hoc ſano accidat, ex illa repentina mutatione, quid ægrotanti maius illo accidere poteſt niſi ipſa mors ex totidem dierum inedia. Res plena diſcrimine videtur, ægrotantem ſine cibo & potu, ducere vſque peracuti morbi inclinationẽ. Qui ad quartum quandoq; ad quintum protrahi eius criſis poteſt. Vt Gal. viſum eſt. Præterea cum morbi quibus inediam conſulimus, maxime acuti ſint, & ob id pernicioſi, haud quaquam medicus vulgi calũniam effugere poſſet, ſi poſt quattuor dierum ieiunium moreretur æger. Non quidem ob morbi uim, ſed ob inediam 1. Aphoꝝ.

mortem subsecutam vulgus clamaret. Vbi insuper hoc ab Hyp. didicimus. Et si longiorem hęc disceptatio sermonem expostulat, solum tamen eam quæ ad rectam institutionem & ad ægrotantium commodum spectant attingam. Sequens summa rerum fastigia. Non omnem mutationem quę ægrotantibus repente accidit, molestiorem ijs esse quàm sanis. Nam id nos sanorum experientia docet, prandium præter assuetudinem demittentes moleste ferentes. At febre si corripiantur facile eis esse prandium assuetum dimittere. In sola igitur dissimili siue disproportionali mutatione peius habent ægrotantes quàm sani. Vt si ab inedia vnius diei aut duorũ ad crassa cibaria mutatio fiat, peius habebunt ægrotãtes quàm sani. Quod si à crasso victu ad inediam mutatio fiat, grauius ferent sani quàm ægrotantes. Ob id quod mutatio dissimilis est, mutatio enim victus ab inedia ad crassa cibaria, ad maius est, quàm ob rem maiori opus erat virium robore, ægrotantes vero dissimiliter mutantur nempe à maiori virium robore ad minus,

2. de victu acutorum.

quare molestius ferent. Hoc arbitror sensisse Hyppo. cum ait mutare quidem bene habet non modicum recte sanè tranferatur & mutatio. Illo verbo recte quod græce ὀρθῶς dicitur proportionalem intellexit mutationem quam pluribus ostendit exemplis, hoc idem sed obscure admodum ut solet, dixit in eo textu qui ita incipit τιμωρητέον δὲ τοιονδὲ τὶ μέρος, hoc est iuuandam partem hanc sermone contrario. In cuius expositione Gal. verbum ὀρθῶς non interpretatus est. Sed

Eodẽ 2. li.

dixit Hyp. non paucis ostendisse quid per illud aduer=

bium indicare uoluisset. Tu ergo breuem habes dè mutationibus repentinis sententiam, quam arbitror scriptis Hyp. conuenire. Quod de virium maximo detrimento ex quatuor dierum inedia dicitur, citra est. Noui hæbreum sex diebus abstinẽtem apud lusitanos & plures sunt qui trium dierum abstinentiam patiuntur, citra in signe incommodum negocia obeũtes sua. Qua in re gens hæbreorum firmum valet præstare testimonium, vt quorum plurimi annuatim huiusmodi trium dierum abstinentia corporum absumũt libidines. Vnde ijs magnitudine morbi suadente citra vllum discrimen quattuor dierum inediam consulet medicus. Alijs vero propter in assuetudinem non nisi vrgente morbi vehemẽtia, & virium imbecillitate id non dissuadente, tum corporis habitu tali vt ob pororum angustiam & cutis spissitudinem haud facile corpus effluat, præcipue media hieme hæc si coniungantur omnia, quattuor diebus hominem omnimoda seruare abstinentia non vereberis. Aliquo horum deficiente potum dato. Verum ad hæc forsan aliquis insurget, nã & si hæc duo cõcedãtur. Nẽpe cibum quantumcunq; tenuem ijs esse læsioni qui peracuto morbo laborant, vt in superioribus initio huius operis demonstrauimus, & ab inedia quatuor dierum minus ægrotantes lædi quàm sanos, non constat ob hæc vtrum eorum magis conferat, aut minus lædat, nempe inedia, aut victus tenuissimus. Quod si ab Apho. locum argumẽtationis sumamus in paroxismis subtrahere oportet &c. Dubitationis occasionem dederimus, nã in paroxismis læsio quę ex inedia vnius diei prouenit, par

ua est, quæ vero à cibi oblatione, maior, nam cibus eo tempore sensibili nocumento esse solet. Inedia vero vnius diei cum parum sano noceat, minus ægrotanti nocebit vt ostensum est. At in peracuto morbo & si cibus non parum lædat, magis fortasse quattuor dierum inedia nocebit. Nam scimus sani corporis robur à quatuor dierum abstinentia prosterni. quapropter cum alia ad id discernendum non detur via, de consuetudine rogare oportet. An unius aut duorum aut triũ dierum inediam sustinuerit. Quod si parum fuisse læsum ostendat, audacter eum in cibatum ad dies quattuor seruabimus. Præsertim vbi corporis habitus talis fuerit ut non facile effluat. Quod si ægre ferre vnius diei ieiunium dicat, huic non inediam sed uictum per pocula ministrabimus. Quod ad medicum spectat, sciendum in arte medica, neque curatiuam indicationem neque victus rationem à vulgi opinione sumi. Vnde pius medicus quod de se ipso Gal. scripsit, opinetur æquum est. Nescio inquit quo numine inspiratus, aut furare percitus, & famam vulgi contempsi & solo veritatis studio scientiæ que flagraui, nullam honestiorẽ possessionem esse ratus. Neque hoc extra mentem Hyp. est. Qui ita scribit non igitur intempestiuę neque fortes vasorum inanitiones moliri, neque cum morbi vigent aut in flegmatia sunt, quicquam exhibere &c. Cunq; morbi vigor nihil aliud sit q̃ morbi in symptomatibus summum. Vt à Gal scriptum est, manifestum est peracutum morbum in quo vltima accidunt symptomata statim vigere, quapropter secundum senis mentem mi=

7. de methodo medendi.

2. de rõne victus.

1. Aphõr.

nistrandum non esse quicquam. Idem voluit alibi cum dixit. Adiectioni autem ciborum intendendum multo minus, subtrahere vero sæpenumero expedit cũ æger sufficere possit, donec morbus maturescat. In Apho. præterea dixit. Vbi morbus peracutus est etc. Vltimo tenuissimo uictu quem omnimodam sumus interpretati abstinentiam, utendum esse monet. Statim extremos habere labores intelligit, cum intra primos dies quattuor summus morbi futurus sit uigor, ut est sententia Galeni.

2.de rõne victus.

Aphõr 1.

CAP. XII.

NEc in ijs solum qui intra quartum diem terminantur morbis, uirtus est inspicienda, sed in alijs qui ad septimum, quos potibus nutriendos supra diximus. Quæ si imbecillis in præsenti sit, aut in posterum ante diem status imbecillem fore speras, non solum poculis hunc, sed tenui sorbitione nutries. Primum ex pulsu cognosces. Secundum ex corporis habitu, an facile transpirabili & ex tenui succorũ substantia. Qua in re consentit Gal. in expositione illius. Postea si dolor quispiam &c. Idem dixit in commento illius. Tenuis et exquisiti victus &c. Qđ si inquit naturæ robori nõ fidamus, ptisane vtemur succo. Idẽ est in alijs iuditium, semper' ꝙ proxime crassiorem victum ministrabis cum vitalis facultas eum victum non ferat, quem morbi constitutio indicauit. Vitale autem robur cuius seruandi gratia nutrimus, ex pulsu cognoscendum diximus, quale in pręsenti hora est. Quale autem erit in posterum, ex corporis habitu, nempe an raro an denso, & ex di-

Lib. 1. de victu acutorum.

1. Aphõr.

ſpoſitione ſuccorum, nempe an craſſi an tenues, & ex conſuetudine, id eſt an multum & multoties ædere ſit ſolitus aut modicum & raro. Hæc omnia imis reconde ſenſibus nam ęgrotantibus ſalutem & tibi gloriã haud quaquam inanem parient.

CAP. XIII.

NVnc quos peracutos qui ad quartum terminentur & quos acutos qui ad xiiij. & quos inter medios dixerã, vnde cognoſcas audi. Morbum quem græci κατόξυ dicunt nos uero peracutum interpretamur, & qui ad diem quartum finitur per vltima diſcernes ſymptomata. Talia autem ſunt, cum alijs ſymptomatibus coniuncta eſt continua inquietatio. Quod nomen vt autor eſt Gal. in expoſitione illius ſi vero nudos habeat pedes &c. Indicat illos conflictari quouis iacentis habitu. Nec non alium ex alio mutari. Cuius cauſa praui humoris copiam in principe parte, eſſe ſciendum eſt. Ob cuius cauſam breui admodum terminantur ægritudines, in quibus continua adeſt inquietatio, maligni humoris læſionem principe parte diutius non ferente. Ad hæc ſcire oportet vltima non poſſe dici ſymptomata ſi ægrotans vnum decubitus habitum ſeruet. Significat enim principes partes haud grauiter lædi. Gal. ob ventriculi oris malitiam, aut ob virtutis imbecillitatem inquietationem fieri ſcribit. Verum alibi in expoſitione illius interdum autem & cruda tũ à capite &c. ob multitudinem prauorum humorum quos græci ἰχώρας vocãt in uentriculo accidere ait. Verum quãobrem in prædictionibus ἄλυσμον inquie

1. prædictionum.

1 prædictionum.

2. de ratiõe victus.

tationem appellet, in libro autem de victu acutorum διαπορήματα, & an aliqua inter vtrunque differentia sit praesentis negotij non est referre. Nunc illud scito in quietationem vnum esse ex signis crisim indicantibus, vt à Gal. scriptum est. Nisi ob aegrotantis teneram naturam accidat, ita vt à minimis prae delitijs se vinci ostēdat. Inquietatio igitur continua coniuncta febri morbū ad quartum terminat. Praecipue si temperatura, aetas, anni tempus, calida fuerint. Hūc peracutum esse morbū dices cum vltimis symptomatibus. Huic si vires constant nihil ministrabis. Quod si his non fidas, pocula exhibeto. 1. de crisib.

CAP. XIIII.

HIs sic habitis signa percurrere oportet, quibus morborum singulos qui ad septimum, vndecimum, & quartumdecimum terminentur cognoscas. Sed prius dicere qui propie sint morbi acuti oportebit. Et quo maxime deprehendantur signo, quod si omnibus acutis commune sit, manifestum est tale per se acutorum omnium leuissimum morbum efficere. At quod nam tale signum esse dicemus, nam id scire maxime conducit ad intellectum eorum quae ab Hyp. scripta sunt, in eam artis partem quae victus rationem docet, tum in eam maxime quae praedicit. Hoc profectò sicut & reliqua ab Hyp. quęrendū. qui in primo de morbis vulgaribus commentario tertio acutissimos & maximos grauissimos'que morbos ac prae caeteris omnibus laethales in continua febre esse scribit. Quo in loco Gal. scribit quoquomodo inquit febrem continuam ac-

tipias verus est sermo. Acutissimi enim morbi & maximi & grauissimi in ijs fiunt, qui propie synochi hoc est continentes dicuntur febres. Et nihil minus in alijs quæ particularibus progrediuntur paroxismis, principia augmenta status & inclinationes manifestas efficiẽtes, neque ad integritatem desinentes, de quibus est satius hoc loco interpretari. Quoniam synochis propie dictis in ijs contineri cõtingit, & non in synochis has. In quibus verbis aperte nos docet Gal. febris continuitatem acutos morbos efficere & hoc ipsum omnibus quæ acute & graues sunt febribus commune esse. Vt pote cum febris continuitas omnibus coniuncta sit. Cunque continuarum leuissima sit ea quæ periodice inuadit, principia augmenta status inclinationes apertas efficiens, manifestum est febrem continuam periodicam, primam & leuissimam acutorum morborum esse. Cũq; acutorum morborum terminum intra dies quattuordecim posuerit Hyp. manifestum est febrem continuam periodicã intra dies quattuordecim fore terminandam. Morbus igitur qui ad quartumdecimũ terminatur, a continuitate febris cognosces, vt Gal. scripsit in expositione illius. Secũdum eandem rationem in mulieribus. Nec obstiterit esse morbos cum febris continuitate qui ad vigesimum terminentur, unde verisimile non videtur esse limitem acutorum quartũdecimũ esse sed vigesimum. Vt Gal. tetigit loco proxime citato. Præterea nec te perturbet, acutos morbos esse qui in quadraginta diebus iudicentur ut Hyp. docuit in eo spirationis facilitatem. Nam & si verum sit febres acutas in vi-

3. Edictionum.

1. Edictionum.

ginti, & quadraginta diebus iudicari posse, non tollit quod dictum est ab Hyp. acutos morbos in quattuordecim diebus iudicari. Nam cum iudicationum modi quattuor sint, nempe ad salutem aut ad mortem ad melius aut ad peius vt à Gal. scriptum est in libris de crisibus, man festũ est fieri posse, vt acutus morbus intra quattuordecim ad melius aut ad peius iudicetur, apud vigesimum, aut quadragesimum integra terminatione ad salutem aut ad mortem terminetur. Quare id verum esse semper, morbos acutos intra quattuordecim dies aliqua quattuor terminationum iudicari. Vt Gal. asseruit in eo. Acuti morbi in quattuordecim diebus iudicantur. Vbi ita scribit nullus enim inuentus est vnquam morbus qui ab initio velociter moueretur hunc transgredi terminum, quin aliquam ex dictis non acciperet mutationẽ. De eo igitur nobis termino sermo est, in quo ad salutem aut ad mortem aut ad melius aut ad peius subito mutantur ægrotantes. Firmiter que cũ Hyp. asserimus, febris continuitatem intra quattuordecim dies aliquam harum quattuor mutationum ostendere. Febrem que continuam periodicam hunc non trãsgredi terminum, citra aliquam quattuor iam dictarum mutationum.

CAP. XV.

INter medij vero eadem sortiũtur nomina, nam qui ad septimum aut citius terminantur peracutos vocauit Gal. loco iam citato. qui vero ad vndecimum acutos, aut exquisite acutos, qui ad quartum decimum, simpliciter acutos dixit verum vt ille ait disceptatio de no

mine est, modo scias quæ nam sint symptomata quæ morbum ad septimum, & quæ ad vndecimum termina ri faciant. Quod si febris continuitati à primo die dolor capitis adsit, & die quarta magis ingrauescat, ad septimum terminabitur. Sic Hyp. si quibus inquit horũ cœpit dolor die primo, die quarto pr. mũtur, maxime, & quinto, ad septimum soluuntur. Idem asserit eodem libro de acuto aurium dolore in febre continua ac vehementi, quibus si natu minores afficiantur, intra septimum aut morientur aut euadent. Natu tamen maiores quia minus febre & delirio infestantur, & quia minus acute dolent ob nerui duritiem, vltra septimum iudicantur. Ex ijs verbis Hyppocratis & ex ijs quæ in libris de ratione victus & in de morbis vulgari bus scripsit, colligimus tria esse symptomata, quæ cum insignem adepta sunt vehementiam & continuitatẽ, morbum ad septimum terminant. Nempe dolor capitis, vigilia & delirium, si febrem continuam comitentur. Vt melidię quæ decubuit iuxta ædem Iunonis contigit, de qua Hypp. In fine primi de morbis vulgaribus agit. Cui caput collum & pectus magnopere doluisse cum febre acuta scribit. Doloresque omnium horum perpetuos fuisse. Quam ait die septimo sudasse, febremq́ intermisisse. Vnde apparet iudicatam fuisse, ad melius. Item adolescentulum qui in mendacium foro decumbebat igne correptum fuisse scribit Hypp. in tertio de morbis vulgaribus, vigilias cum pateretur aliaque exitialia signa haberet, ad septimum obijt. In cuius expositione Galenus refert hunc adolescentulum omnibus

3. Edictionum.

nibus

nibus diebus nihil planè dormiuiſſe. Idem præterea mulieri abortione infantis à febre ardente correptæ & vigilias patienti accidit. Nec obſtiterit quod in eodem tertio prædictionum libro doloris capitis vehementis meminit, & continui cum febre de quo iudicium facit cum vigeſimum diem tranſijt. Nam ſi Galenum in expoſitione legas, incondite locutum fuiſſe Hyp. audies. Sed recto ordine Hyp. ſermonem texit in hunc modum. Capitis dolor vehemens & continuus cum febre ſi quod ex inditijs extiterit exitioſis integre læthalis eſt. Si vero ex ijs quæ didiciſti de ægro conualituro ſperes, à principio quidem ad ſeptimum vſque ſanguinis enaribus fluorem expectato. Procedente vero tempore id etiam eueniet. Vnde fieri non poteſt vt dolor capitis vehemens & continuus cum febre, vltra ſeptimum iuditium differat, quin aut ad Salutem, aut ad mortem, aut ad melius, aut ad peius mutationem faciat. Cum vero vltra ſeptimum abſque iuditio protrahitur, aut eius vehementiam, aut continuitatem deficere neceſſe eſt. Iis fidem præſtat verſio in octoginta volumina, quæ ita hēt. Dū autem validus & recens dolor fuerit, ſanguinis de naribus eruptionem apud ſeptimum expectato &c. Ac ſi velit poſt ſeptimum iuditium ſi protrahatur, ob id eſſe, quod in validus dolor erat. Morbi autem qui ad vndecimum iudicantur mediæ vehementiæ ſunt, inter eos qui ad ſeptimum terminantur & eos quos ſimpliciter acutos diximus, qui ad quartumdecimum finiuntur. Propria auttem ſigna quibus diſcernere eos poſſis non dantur. Verum per ea quæ diximus

symptomata septem dierum terminum ostendentia si die tertio inceperint apud quintum vero vehementius molestauerint, morbum discernes ad nonum aut vndeci

3. pdictio-num.

mum terminandum. Quod ab Hypp. *didicimus loco iam citato hoc modo, si quinto inceperit & vndecimo magis fluctuauerit, terminum ad quartumdecimum designabit. Sed simul cum iis temporis constitutionem considerare oportet. Quod si morbo conueniat, fiduciam maiorem habebis, quòd intra perscriptum finietur terminum. Quòd si contrariæ sit qualitatis nempe frigidum & humidum, scito morbum ad vlteriorē protrahendum quaternarium.* Huius autor est Gal. *in*

In 1. đ morbis vulgaribus cōmētario 2.

expositione illius circa arcturum multis facta est iudicatio in statu tertio, simile est prima Apho. *vbi æstatē dixit morbos breuiare hiemem producere. Considerationem etiam temperamenti ægrotantis habitus & regionis non prætermittas vt singulorum morborum terminos arteficiali possis coniectura coniicere. Quod de dolore capitis qui tertio inceperit & quinto magis fluctuauerit diximus, de vigilia & delirio intelligas oportet. Horum quodlibet si die tertio inceperint, & quinto vehementius affligant, apud vndecimum morbus terminabitur. Verum quia symptomata quæ acutum aut peracutum morbum reddunt, cum febri continuæ coniunguntur, à quibus terminum conijciendum supra docuimus, solent diuersimode in morbis mutari, ita vt noctem unam in somnem agat ægrotans. Sequenti dormiat. Nunc deliret, modo mentis compos videatur. Diebus accessionis caput doleat, intermissionis cessct, aut mi*

nus torqueatur, quonā pacto ex ijs terminus conijci possit forsan quis dubitabit. Verum si ea quæ supra diximus, recte quis percipiat, huic dubitationi locum non esse intelliget. Nam cum vigilia continua acute febri cō iungitur, aut dolor capitis vehemens continuus affligit, morbū ad septimum terminandū diximus. Quod si vigiliarum aut doloris delirij ue continuitas cessent, intelliges horum symptomatum ratione, morbum vltra septimum terminandum. Alia obiter symptomata consules, & febris magnitudinem & eius motus velocitatem, à quibus omnibus an ad vndecimum, aut ad quartumdecimum terminari morbus debeat conijcies. Sat tibi est ad victus formam inueniendam, quibus nam signis morbos qui ad quartum, & qui ad septimum, vndecimum, & quartumdecimum terminantur cognoscas.

CAP. XVI.

VErum ad victus formam inueniendam parum referre an diebus intermedijs terminus accidat. Eadem enim victus forma vteris, cum morbus ad diem nonum, aut ad vndecimum, terminari debeat. Item eodem victu cum ad tertiūdecimū, aut quartūdecimum finiendus sit. Nec hoc præter senis mentem est, qui eodem victu vtitur, nempe poculis, si septimo aut nono terminari morbus debeat. Cum dixit sed post septimum aut nonum si validus sit. Sentis ex ijs verbis Hyp. eadem victus forma vsum fuisse cum morbus ad septimum, aut ad nonum terminum habiturus esset. Grauiter autem errabis, si morbus ad quartum terminandus sit, ægrotantē eo victu nutrias qui morbis ad duas

In 1. de vi-ctu acutor.

septimanas finiendis conuenit. Minus autem lædes si eo vtaris quo ad vndecim dierum morbos vtimur. Multo autem minus si eo qui septem dierum termino conuenit. Porrò discernere morbum qui ad quartum terminabitur, ab eo qui ad quartumdecimum, aut vndecimum facillimum est. Non aliter quàm si grauissima symptomata & febres ardentissimas ab ijs discernas, quæ mitiores multo sunt febres, & augmenta & decrementa manifesta habent. Et nullum sæuum sortiuntur symptoma. Hæc autem ab ijs quæ morbum intra septimum terminari faciunt symptomatibus, separare, facile ijs est qui in artis operibus mentem exercitarunt.

CAP. XVII.

SEd interim dum vsum in ijs comparas, febres tibi indicabo quibus prædicti termini adaptentur. Vt initiũ huius meditationis habeas. Causus legitimus hoc est febris ardens, quæ à bile impermixta ortum habet, febris præterea quam synocham recentiores nũcupant, si cum inquietatione coniuncta sit, ad quartum terminabitur. Eadem vero si cum vigilijs, aut capitis dolore, aut delirio, continuis fiant, intra septimum. Febres continuæ quarum in die quietiori symptomata ægrotantẽ vtcunque molestãt, ad vndecimum. Quarũ vero apud inclinationem febris symptomata omnino euanescunt, ad quartumdecimum. Hæc nõ sunt præter senis mentẽ, ab ijs enim quæ dixit in libris de ratione victus, & in de morbis vulgaribus colligere ea licet. Quibus igitur ardentes febres cum inquietatione fiunt, si robusta sint virtute, & habitu denso, difficulter spirabili præ-

cipuè si abstinentiam longam citrà insigne incommodum pati assueti sint, hos in omni seruabis inedia. Si aliquod deficiat, nempe virtus sit imbecillis, aut habitus rarus, facilis resolutionis, aut humores nimium tenues, potibus hunc nutries. Quòd si febris ardens citra inquietationem sit, & vigilijs torqueat, virtutéque valenti & reliquis vt oportet habentibus, pocula ministrato. Quòd si illorum virtuti non fidas, aut in præsenti aut in posterum, tenuem sorbitionem exhibeto. Febri autem cuius symptomata in die tranquilliori non quiescunt, si cum robore virtutis accidant, tenui sorbitione. Quod si ob imbecillitatem præsentem aut ob habitum rarum in posterum illum non posse sufficere speres, præcipue si multo sit cibo assuetus, & humores tenues fuerint, crassa sorbitione hunc nutries. Quod si febris continua sit, cuius symptomata in die quietiori omnino euanescunt, crassa sorbitione ales. Quod si imbecillis fuerit virtus, aut habitus rarus aut tenues humores affuerint, aut multo cibo assuetus sit, præcipue si hiems fuerit, huic comedendum dabis. quod facilis sit coctionis, quorum omnium infra latius meminero cum de victus singularum febrium sermonem fecero. Cæterum cum in libris Hyp. de morbis vulgaribus legamus, plures eorum quos describit ægrotantes ab initio morbo acuto laborare tali symptomatum vehementia, vt videantur intra septimum terminum habituri. Rursus'que mitiores fiunt citra crisim, aut intermittunt omnino, & cessant aliquot diebus, & rursus redeunt, & vehementer affligunt. Horum aliquot ad vigesimum, nō

nullos ad quadragesimum, & sexagesimũ, & ad octuagesimum absolute fuisse terminatos scribit, quonam victu hos nutrire oporteat forsan quis dubitabit. Dum morbus vehementiam peracuti seruat, victum peracuti morbi ministrabis. Cũque mitior est aut intermittit omnino, ab intermissione numeratis duobus diebus, victũ ei medium exhibebis. Hunc intelligo qui inter duos extremos medius est, quorum alter est victus qui inchoãti morbo conueniebat, alter est quem secunda dispositio exigit. Vt exempli causa si morbus tali incepit vehementia vt victus per pocula ei conueniat, nunc vero citra crisim mitior factus est, ita vt præsenti remissioni crassa conueniat sorbitio, duos à remissione dies spectabis absque victus in mutatione, ab ijs tenui sorbitione hunc nutrias. Quæ media est inter pocula & crassam sorbitionem. Quòd si secundum accidat, ad duos similiter dies victum non immutabis. Post vero, crassa sorbitione hominem nutries ad dies septem. Quod si in ijs non redierit morbus, crassiorem cibum huic ministrabis, creticos semper præcauẽs dies. Horum partẽ ab Hyp. didicimus, nempe illud, duos esse expectandos dies absque victus immutatione, nempe parem & imparẽ, vt in pri. de rõne victus in acutis scribitur. Vbi ait sed maxime duos ab iudicatione dies &c. In cuius expositione Gal. ita scribit, tutum igitur est etiam si morbus iudicatus fuerit, ad duos vsque dies diligentem victus rationem qua æger vsus fuerit seruare. Præteritis autem ab iudicatione duobus diebus iam securum est plenius cibare &c. Cum ergo in ijs morbis in quibus iu

dicium est factum duos obseruare iubeat dies parem & imparem ob timorem accessionum, multo causatius illud obseruandum fore in ijs qui citra iudicium intermiserunt. Reliquum discimus mōstrante ratione.

CAP. XVIII.

SIc igitur victus formam à duobus inuestigandam diffiniuimus. Nempe à virtus robore & à morbi constitutione in qua duo comprehendimus, nempe morbi dispositionem an peracutus an acutus aut qui medio loco est, & quando ad statum peruenturus sit. Facultatis autem vitalis seruandæ cuius gratia nutrimus, prout est in hora præsenti expulsu conijciendum robur fore. Quale vero erit in posterum, ex habitu denso aut raro & ex humorum tenuitate aut crassitie & ex assuetudine. Cæterum per morbi constitutionē, seu dispositionem an peracutus, an acutus, & quando maxime ad statum peruenturus sit intelleximus. Ad id cognoscendum præcepimus quæ nam symptomata, morborum singuli afferant considerare. Vt ex ijs an ad quartum, aut ad septimum, vndecimum, aut ad quartumdecimum morbus terminari debeat sciamus. Ab huius distantia victus formam inuenire docuimus. At secundum Hyp. doctrinam in Apho. secundum quod status prope aut longe est victus formam inuestigandam docet. Status autem distantiam non ex symptomatibus quæ morbos comitantur, sed ex signis coctionis præcognoscere docet Gal. in libris de Crisibus. Præterea ipse Hyp. ab eisdem coctionis signis morbum 1. Aphō.
breuem aut longum fore dicit. Vt sputum sub rubeum

Primo de rõne victus. in acutis.

si: statim appareat inchoãtem abbreuiat. Idem dixit ali
bi, nempe quæ citius magisque madescunt, iudicationis
denunciant celeritatem. Quæ vero tardius, minusque,

In de morbis vulgaribus primo.

tardiorem significat iudicationem. Et alibi coctionem
dixit, velocitatem crisis & salutem certam significare.
Loca præterea quæ citauimus Hyp. ad cognoscendam
termini distantiam, omnia crisim spectant, & non mor
bi statum. Quod autem hæc duo differant, manifestum
est. Si ergo à crisis distantia victus formam sumeres,
necessum esset, vt quanto propius ægrotans crisis horę
accesserit, tanto subtiliorem victum ei ministres. Et

I. de ratiõe victus.

quanto longius, crassiorem. Vt doctrina est Hyp. at hu-
ius contrarium inuenimus ab Hyp. scriptum in hæc ver
ba. Et quanto maior fuerit expurgatio, tanto magis ad
crisim vsque dare oportet. Præterea in textu immedia-
te quarto loco præcedente, ita ait, nempe si morbus sic
cior quam vt quispiam existimet fuerit, non multum da
re oportet, sed ante sorbitionem vel mulsam vel vinum
propinare expedit. Manifestum est ex loco immediate
citato, quod quanto morbus est siccior, hoc est magis
crudus, tanto longius à crise distat. Et quanto humidior
hoc est coctionis magis recipit, tanto propius accedit.
Vñ ex ijs apparet secundũ mentem Hyp. victus formã
penes crisis distantiam inuestigandã non esse. Sympto-
mata vero quorum mentionem fecimus, nempe inquieta
tio, vigilia, dolor capitis, & delirium, omnia sunt signa

I. de crisib.

crisim indicantia. Vt à Gal. scriptum est. Porrò insti-
tueram ijs supersedere quæ maiori otio ad eorum exa
ctam speculationem indigent.

CAP. XIX.

VErum ne in hoc soluendo nodo agitandi mentem alicui detur occasio. Hac in re quod intellectus meus capit referam, ne quid speculationi desit, vt obiter studiosos in hanc inuestigationem prouocemus. Multa quidem in disceptatione inuoluuntur quæ dissimilis sunt rationis & diuersa indigent oratione. Sed vt recta procedat disceptatio, Ciceronis insequar pręceptum. Tria sunt quæ incontentionem vocauimus, nempe statum, crisim, & terminum morborum quem ex symptomatibus præcognoscendum diximus. Notiones singulorum præmittemus, vt sciamus de quo disputare intendimus. Statum siue vigorem qui græce ἀκμὴ dicitur, triplicem esse nempe statum quo ad symptomata, & statum quo ad dispositionem, & quo ad coctionem materiæ. Primum maximũ esse morbi vt in symptomatibus scripsit Gal. Quod autem addidit præpositionem vt, voluit significare superlatiuum non ad morbi dispositionem sed ad symptomatum magnitudinem referendum. Vt ipse apertius scripsit in expositione illius circa principia & fines &c. vbi ita scribit. Symptomata omnia circa principia & fines dicit esse imbecilliora, nempe paroxismos febrium, vigilias & dolores fastidium & sitim sicuti ipsas dispositiones in quibus hæc fiunt apud statum necesse est meliores esse, in ijs qui seruari debent. Ex ijs manifestum est secundũ Gal. mentem, illud maximum morbi, non esse ad dispositionem referendum, sed ad symptomatum magnitudinem. Habent præterea singu

Aphoř. I.

2. Aphoř.

læ affectionum ſecundum varias diſpoſitiones, ſua tem-pora, nempe initium incrementū ſtatum et declinationē. vt ſi febris ſit, cum primum in vehementiam in antici pationem & durationem addit, augmentum manifeſtū eſt. Cunque omnia maxime aucta ſunt, ſtatum. Declinatio cum iam dicta imminuuntur. Hoc colligimus à Gal. multis in locis tum præcipue in expoſitione illius paroxiſmos & conſiſtentias &c. Quod ſi inflammatio ſit, diſtinguuntur tempora penes tumoris magnitudinis incrementum. Diciturque hæc temporum diſtinctio, quo ad morbi diſpoſitionem. vt ex Gal. licet colligere, cum ait in hunc modum. Ponatur igitur primum principium inquiri, quis negauerit generationē ipſius toto illo tēpore eſſe quo pars ſanguinolenta ſubſtantia repletur. ſiue enim propter coincidentiam huiuſmodi contigit, ſiue propter obſtructionem omnium vaſorum, ſiue ob circunſtantiam quandam tumorum in poris, ſiue vt nos docuimus in libro de inæquali temperie, & in cōmentarijs de tumoribus præter naturam, abundantia ſanguinis in particula conſiſtit oborta flegmone, hoc erit primum tempus in quo impletur particula, magnitudini affectus ſubiecta. Quando autem influxus ceſſauerit, & quod in flegminante particula continetur putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinē naſcitur, & fuſio implens propter calorem ob quem ſpiritus generatur, ob hæc ambo magis quàm antea diſtenditur etiam ſi nihil influat, hoc ſecundum tempus eſt augmenti flegmones. Porrò cum in pus iam vertitur, maximi ſanè dolores tunc apprehēdunt. Circa enim ge-

In lib. de 4. morbi tēporibus.

Lib. de totius morbi tēporibus.

nerationes saniei labores & febres magis accidunt q̃ facta. Vocatur status affectionis huiusmodi tempus. Si autem in saniem versa vel resoluta fuerit, minorem tumorem & tensionem ostendit, principium inclinationis hoc ipsum est. Distinguuntur etiam tempora penes materię coctionem, vt cum cruda est principium sit. Cũ vero signum incipiẽtis aut debilis coctionis fuerit, principium transisse scies, augmentum'que principium sumere, cunq; maxime coctio completur, statum esse. Cũq; complete, signum iam appareat statum præterisse significatur. Hęc omnia sunt de mente eius in libris de crisibus & in libro de totius morbi tẽporibus. Vbi principium dicit esse cruditatẽ molestãtium humorum quando coqui incipiunt, principium finiri, secundum tempus quod incrementum vocatur accedere. Quando autem coctio ipsa maxime completur, status tempus esse. Deinceps declinatio in qua cessare iam magnitudinem symptomatum & abundantiam coctorum scribit. Coincidunt hæc aliquando, nempe status quo ad dispositionẽ & quo ad symptomata, vt in morbo laterali, in quo antequã screare incipiant, maxima tunc vigent symptomata & inflamationis tumor maximus. Cunq; screare inceperint, vtraque imminuuntur, & tumor & symptomata. Vt à Gal. scriptum est ĩ hęc verba. Sæpius autem adinuicem coaugentur & coniunguntur symptomatum magnitudines & dispositiones, & fiunt in ijs flegmonis, in quibus pus effluit quod iam cõfectum est, vt in vulneribus quibusdam fieri consueuit, & in peripneumonijs & in pleuritidibus'que. Quandoque di-

In fine tertii de rõne victus.

uersis contingunt temporibus vterque status dispositionis & symptomatum. Vt ab eodem sumitur loco citato. Vbi ita scribit, sæpe quidem dispositio ipsa secundū quam infirmantur facilior est. Symptomata vero augētur, quemadmodum in flegminantibus particulis vt ipse dixit circa generationes saniei dolores & febres coincidunt magis quam facta. Hæc ille, in quibus verbis vult, circa saniei generationem augmentum fieri quo ad symptomata, quo tp̄e dispōnem iam imminui videtur innuere. Dispositio autem secundum quam ille infirmatur, cum tumor sit præter naturam, hunc apud saniei generationem iam imminui ostendit. cuius contrarium dixisse videtur in libro de Totius morbi temporibus loco iam nobis supra citato, quod tu considera. Habes ergo ex omnibus ijs, quod penes tria distinguuntur tempora morborum, nempe penes morbum, eius causam, & symptomata. Cęterum quomodo huiusmodi tempora in morbis misceantur, & quibus in morbis singulę mixtiones accidant, infra tāgemus, quantum ad victus inuentionem opus fuerit. Gal. igitur in libris de Crisibus, & in libro de Totius morbi temporibus penes coctionem & cruditatem materiæ, tempora distinguere videtur. In libro vero Aphorismorum penes symptomatum magnitudinem. In tertio de ratione victus secundum dispositionem.

CAP. XX.

CRisim ὀξυῤῥοπον ἐν νόσῳ μεταβολὴν πρὸς ὑγείαν ἢ θάνατον εἶναι, hoc est crisim subito vergentem esse in morbo mutationem ad salutem, aut ad

mortem, dixit Gal. in libro secundo Aphorismorũ. Verum per Crisim Hypp. multoties subitam itellexit morbi solutionẽ. Vt in libro de ratione victus primo. Vbi Gal. in expositione per Crisim dixit, vel perfectã morbi solutionem, vel mutationem eam, quæ vsqueadeo insignis sit, vt æger periculum omne euaserit. Accipitur crisis nomẽ nonnũquam, vt vtrunque complectatur, nempe subitam mutationem & morbi solutionem. Et est quæ præcipue crisis dicitur, quod Gal. scripsit in hæc verba. Eas igitur quæ cum magno & repentino certamine fiunt morborum solutiones, quas præcipue crises nominare dicebamus &c. Cæterum hæc tertia crisis acceptio, in perfectam & in imperfectam diuiditur. Primam morbi esse subitam solutionem cum effatu digna excretione, & non modica huic antecedente in ægrotantis corpore perturbatione. Secundã, cui à iam dictis vnum deest, quod non integre à morbo liberat. Ita vt crisis perfecta bona, subita sit morbi solutio, imperfecta bona, subita morbi diminutio. Has duas crises, perturbationes in corpore ægrotantium non modice, & effatu dignę excretiones comitantur. Totidẽ diuisiones in bonas et crises malas efficere licet, nẽpe perfectã malam ad mortẽ, eandem rursus imperfectã ad peius. Hæc oĩa scito esse secundũ mẽtem Gal. Crisim igitur prout est subita mutatio ad salutem vel ad mortem fieri, natura separante à bonis mala, & ad excernendum præparante. Rationabiliter igitur in tali perturbatione grauiter se habẽt laborantes, & maximis tunc afficiuntur symptomatibus. Quorum cum tres sint causæ, nem

2. de crisib. cap. 11.

3. de crisib. cap. 7.

pe natura, morbus, vel eius causa, & natura & morbus simul. Quæ morbum insequuntur symptomata παθογνωμονικὰ, id est symptomata per quæ morbus cognoscitur. Hæc in crescente morbo augentur & inclinante imminuuntur. quæ vero ab ipsa fiunt natura, dicuntur κρίσιμα hoc est crisis symptomata. quorum meminit Hyp. varijs in locis, quod vero à natura fiant, Gal. docet in expositione illius hæc si ab initio non apparuerint, vbi ita scribit. Ergo quoties natura ad excretionẽ properat, effatu digna in corpore fit ꝑmutatio, ob quã symptomata huiusmodi cum manifestissimis coctionis signis apparent. Quæ tertio sunt loco symptomata, pugnam insequuntur naturæ morbificas debellantis causas. Prout pugna acerbior est, vehementiora fiunt symptomata. Cunque natura sua maxima vi vltimóque conatu contra morbum pugnat, maxime & vltima fieri. Ad hoc tertium symptomatum genus reducuntur dolores & febres quæ apud generationem fiunt saniei. Nã hæc à duabus contrarijs generatur causis, nempe à calore naturali coquente, & à præter naturam calore putrefaciente. Vt à Gal. scriptum est. quod si ob sanguinis incensionem, dolores & febres fieri quispiam asserat, cunque perfecte incensum est residuum ipsius saniem fieri, quemadmodum incensis lignis cinerem, ob idque dolores & febres sedari. Cedo sed si res exacte consideretur, huius incensions causam non solam humoris putredinem esse, sed pugnam inter naturam coquẽtem & morbum putrefacientem inueniet. Cunque altero vincente cessat conflictus & pugna, remittuntur &

2. de rõne victus.

In fine pri. ꝓdictionũ & 2. Aphõr.

symptomata. Remanent autem ea quæ saniei acutam qualitatem & particulæ tensionem insequũtur. Ob hoc dixit circa generationem saniei dolores & febres accidunt magis quam facta. Non enim ob aliud addidit Hyp. illud verbum magis quàm facta, nisi vt ob naturę pugnam cõtra morbi materiam prouenire symptomata ostenderet. An non huius validum est argumentum id quod ijs contingit qui exitialiter laborant. Qui dum natura vires habet ut contra morbum pugnet & eius incursibus obsistat, grauissima ferũt symptomata & labores. Cũque natura ex certamine vincitur, videntur ab eo tempore minus inquietari, & haud grauissimis cõflictari. Vt ijs contingit qui obscuris & blandis & contrestabilibus desipientijs laborant. De quibus Hyp. agit in primo prorrhetici. Ad hoc item genus reducũtur ea quę in salubri morbo apud statum fiunt symptomata, & febrium vehementiores paroxismi, cum man festissimis coctionis signis. Talia ergo symptomata, & febres nõ ob maiorem materiæ putrefactionem, sed ob maiorem pugnam inter naturam & morbum in obtinendo materiæ apparatu. De ijs alibi latius.

CAP. XXI.

TErminum quem supra posuimus victus formæ indicem esse intelligo, illum dierum numerũ quibus ęgrotantis robur morbi acumẽ & eius symptomata ferre possit, citra aliquam quattuor crisium à nobis supra descriptarum. Vt exempli causa si quis aliqua continentium febrium cum vigilijs continuis laboret æstate, iuuenis, calidi temperamenti. Conijcias ꝗ

ægrotantem ultra ſeptimum ferre non poſſe prædicti morbi vehementiam, citra aliquã quattuor criſium, nempe ad ſalutem, aut mortem, aut ad melius, aut peius, tali ægrotanti dies ſeptem terminum eſſe victus formam indicantem dicimus. Sed de qua nam trium acceptionum ſtatus intellexiſſe Hyp. aſſeremus in Aphoriſmo, cum iubet ægrotantem conſiderare ſi ſufficiat ad ſtatum vſque cum victu necne. Et primum inquiramus an de ſtatu quo ad materiæ coctionem intelligat. Quod eſſe rationes negant, nam ſtatus quo ad materiæ coctionem in nullo morbo certum nec definitum tempus habet, vt præcognoſci poſſit. Finge Socratem ſalubri ægrotare febri vt continua tertiana, triplici de cauſa non dabitur tibi vt præcognoſcas qñ potiſſimum, morbus hic in ſtatu quo ad materiæ coctionẽ erit. Primo ob materiam morbi ſi diuerſæ ſubſtantiæ ſit, nam primo ſecundo & tertio die in ſubtiliorem laborante natura partem, iudicium facies de reliquo conſimile. Et decipieris in ſtatus præcognitione & victu inueniendo. Secundo ob vires laborantis quæ initio valide erant, procedente autem morbo ob aliquam cauſam vltra opinionem imbecilliores fiant. Vnde grauis cõmittitur error. Nam inter initia æſtimato ægrotantis robore morbi coctionem ad talem dierum numerum conieciſti, fruſtraberiſque ob naturæ inſperatam imbecillitatem. Tertio ob tempus quo natura vacat humorum coctioni. Nam ſi Socrati multum & craſſæ ſubſtantiæ cibum vt comedat miniſtres, diutius immorabitur coctio, quàm ſi ſorbitionẽ craſſam offeras. Citius

autem

autem si tenui sorbitiuncula dummodo virtus ab vtroque seruetur Socratem alas. Nam cum minus natura in ciborum coctionem temporis expendit in morbi materiam operabitur quod reliquum est. Id maius est si tenuem cibum quàm si crassum exhibeas. Alia Praeterea accedit ratio quod crasso victu diutius immorentur coctiones eo, quod in morbi materiam fiat additio, cunque singulis diebus eius augeatur copia, opus naturę minus praeualere necessum est. Tenui autem victu hoc non datur. Cum ergo pro uictus forma tempus coctionis imutari possit, qualiter à statu coctionis victus formã recte conijcere possumus. Tan si super rẽ instabilẽ aedificia firma construere velles. Profectò ridiculum videtur esse quaerere, a, per, b, quod quidem immutatur secundum à dispositionem. Insuper si ita esset, vt de statu quo ad materiae coctionem intelligeret, inepte profectò ab Hyp. dictum esset, contemplari oportet aegrotantem si sufficiat cum victu ad statum aegritudinis, hoc est ad id temporis cũ maxime cõplentur coctiones. Ad talem enim statum potestatis victus nõ est, aegrum ducere. quantocunque enim crasso nutrias victu aegrotantem, continget multoties vt ad statum, eum non perducas. Nam natura fortasse morbo inferior est. quot sunt praeterea aegritudines quae ante coctionem aegrotantes occidunt. Qualiter igitur sollicitos nos reddit, admonens vt conijciamus si cum victu sufficiat aeger ad statum quo ad coctionem, cũ eo vsque aegrotantem durare, virtutis robori, & morbi materiae dispositioni, tribuendum sit, & non victui. Alium igitur in illis teti-

git statum verbis, ad quem vsque ægrotantem ducere in facultate sit victus. Iis fidem præstant quæ ipse alibi dixit, vbi crassiorem victum & copiosiorem ministrat, quanto morbus ad coctionem festinat, magis vero tenuem quanto ab hac longius distat. Iis quidem contrariũ in Apho. dixisset si de statu quo ad coctionẽ verba eius intelligantur. Cæterum dispositionis statum non tetigisse ostendere opus non esse arbitror. Cum dispositio per se nullum præbeat iuditium nisi quateuus actiones lædat. Quæ quidem læsiones symptomata dicuntur. Non immerito igitur nec magnus nec paruus morbus dici potest, si læsionem actionum tollas. Neq; enim victum, neque remediorum vllum afferas nisi recuperandarũ actionum gratia. Nec dispositio ipsa per se nec noxam, aut periculum, nec mortem, ægrotanti afferet, nisi interuentu læsarum actionum. Ad hæc non est medicorum antiquorum vllus qui penes dispositionis status distantiam, victus formam inuestigandam pronunciet. De statu igitur symptomatum verba Hyp. intelligenda fore manifestum est. Iis fidem præstant quæcunque Gal. de morbi temporibus in Aphorismis secundum mentem Hyp. scripsit, nempe statum esse maximum morbi vt in symptomatibus. Præterea in eo circa principia & fines omnia imbecilliora. Vbi declarat per illud verbum omnia imbecilliora, symptomata esse intelligenda. De principio etiam quod ad symptomata locutus est in Aphorismis, cocta medicari & mouere non cruda neque in principiis, vbi aperte ostendit, per principium morborum, aliud quàm cruditatem humoris in-

1. de rõne victus.

tellexisse. Videtur'que solum tempora distinxisse Hyp. penes symptomatum magnitudinis incrementũ, vbicunque de principio statu'ue morborum sermonem facit. Cui opinioni adhærebit quisquis diligenti lectione illius euoluat scripta. Cunque de materiæ dispositione loquitur, crudam, imperfecte coctam, & coctam dicit, vt de vrinis, sputis, egestionibus. Cum vero principiũ aut statum scribit, symptomatum meminit. Verum multoties per principium tempus vsque ad tertium ægritudinis diem intelligit. Vt constat per Gal. in expositione illius si vero in morbo vetere &c. Significat aliquando principium, primum morbi insultum, quod latitudine caret. Cuius meminit Gal. loco citato & in expositione illius, paroxismos & consistẽtias. Verum prout est vnum ex quattuor morbi temporibus, symptomatum certam magnitudinem significat, prout incrementum potest suscipere. Verum vno loco videtur per morbi principium illud intellexisse tempus, in quo nõdum existunt coctionis notæ, vt apparet in expositione illius hæc si ab initio morbi appareant &c.

1. p̃dictionum.

1. Aphõr.

de rõne victus.

lib. de ratione victus.

CAP. XXII.

Cum igitur ostensum sit per morbi vigorem, statum quo ad symptomata intellexisse, superest considerare de quo nam symptomatum genere maxime sit intelligendum. Quod nec de ijs quæ accepta feruntur naturę quæ κρί σημα dicuntur, nec de ijs quæ à morbo & natura circa materiæ apparatus pugnãtibus proueniũt, ab Hyp. licet elicere in expositione illius, modi autem & constitutiones &c. Vbi mor-

1. de morbis vulg.

In de morbis vulgaribus primo. cōment. 3.

borum modos refert, ab initio vehementissime incipientium. Quos Hyp. ab initio florere ait, & vigere, paulatim que remitti ad iudicationem vsque. Manifestum autem est, quod ea quæ in morbis ab initio fiunt symptomata, non ob pugnam naturæ cum morbo ob complendam coctionem prouenire, aut ob maximos eius conatus cum materiam morbi extra corpus pellere nititur, sed de ijs symptomatibus quæ morbum insequuntur, cum ad maximam perueniunt magnitudinem, statū esse intelligere oportet in doctrina Hyp. Qua via haberi possit præcognitio maxime eorum magnitudinis consideremus oportet.

CAP. XXIII.

PRoinde duo sunt, quæ maxime finem magnitudini symptomatum imponant, vltimum resistentię naturæ, & perfectę morbi materiæ coctiones. Causi siquidem, vigiliæ, tāto durabunt tempore, quanto laborantis virtus ferre possit. Cum vero vltra non possit succumbit. Et sic fuit ea hora status quo ad symptomata, ob vltimam resistentiam naturæ. Quandoque increscunt, quousq; natura, perfecta morbi coctione crisim faciat. Vltima ergo naturæ resistentia, & morbi coctio. symptomatum incremento finem imponunt. Verū cum multæ sint ægritudines, quæ citra coctionē in abscessus terminentur. Vt Hyp. ait in expōne illius, qui tenuem crudam que vrinam diutius mingunt &c. Rationi consentaneum non est, vt per coctionis notas, statum quo ad symptomata prænoscamus. Præterea cum in superioribus ostensum sit, tempus completę coctionis in-

3. Edictionum.

certum esse ob triplicem causam, æquum non est, ab eo quod in se indefinitum est, victus formam diffinire. A robore igitur ægrotantis, & à symptomatum magnitudine et vehementia, statũ conjciẽdũ esse putamus. Exẽpli gratia. Socrate laborãte, mediocri febre acuta cum viriũ robore, cuius symptomata nõ cessant, sed continenter capitis dolore, vigilia, & siti, torquetur, morbi statum ad septimum fore diffiniam. Nam ad id temporis, Socratis virtus feret prædicti morbi symptomata. Et non vltra, citra aliquam quattuor crisium, ob quarum singulas symptomatum magnitudo imminuetur. Sis modo mecum, & perpende quàm sit vtilissima huius termini præcognitio. Cum sciam Socratis morbum ad septimum vsque statum habiturum, & non vltra, talem victus formam ordinabo vt Socratem ad septimum seruare possit. Præterea dabo operam, vt coctiones ad id temporis compleantur, minus naturam cibo impediẽdo. Hoc enim scire magni est momenti, & tempus simul quo compleri oportet. Sic enim artificis cuiuscunque artis cum aliquod agrediuntur opus, quod cito compleri oporteat, statim quærunt quid agendum sit, & quanto temporis interuallo. Iuxta quod totum in partes diuidunt opus, in totidem'que temporis spatium, ita vt in diarias partes operam diuidant. Cũque aliquid in diuisione errauerint, aut ob quãcunque aliam causam minus compleuerint, id expeditiori diligentia ante præfinitum terminum supplent. Sic profectò in arte medica maxime necessarium est, præcognoscere terminum ad quem vsque ægrotantis virtus morbi acumen ferre pos=

sit. Ad quem terminum dirigendi sunt victus. Talem'q; praestabis, vt laborantem eo vsq; seruare possit. Tum vt spatium sit naturae conficiendi coctiones ad praefinitum terminum. Cunque ex opera naturae in primis quattuor diebus conieceris, naturam posse ad septimum coctiones complere, hominem seruandum esse scies. Quod si contrarium eueniat, moriturum in acuta aegritudine. Non solum igitur ad victus intentionem vtilissima est huius termini praecognitio, verum ad partem artis, quae praedicit, validissimus est totius praedictionis sciētiae neruus. Absq; quo nihil certo posses praedicere.

CAP. XXIIII.

VNde nā conijcias'iquies quot dies is q aegrotat morbi acumen ferre poterit. Diuinus nos docuit Hyp. in scriptis suis post lōgas, & diligentissimas, apud aegrotantes obseruationes id inuestigans. Acutas aegritudines dixit Hyp. in quattuordecim diebus iudicari, non quod omnium acutarū crisim in quartadecima die fieri velit, sed crisim acutarum ad vsque quartamdecimā diem protrahi posse. Hunc terminum in acutis signauit. Nō quia eo temporis interuallo coctiones perficere necessum sit naturam. Sed quia obseruauit quantumcunque robusti hominis naturam labores acuti morbi vltra dies quattuordecim citra aliquam quattuor crisium ferre non posse. Ob quam causam crisim hunc terminum vocauit, ac si diceret crisis futurae terminū. Nec hoc praeter mentem Gal. est qui ita in eodem scribit. Quod sit necessarium ob morborum magnitudinem, ac symptomatum vehementiam, vel cito vi-

res prosterni adeo vt homo moriatur, vel si ad excretionem humorum impetum faciat, & quos inuasit exuperet bonam sequi crisim, si vero exuperetur malam. Propterea igitur inquit est impossibile, vt in lõgum tempus iudicatio differatur in morbis acutis. Terminum igitur in hisce omnibus Hyp. posuit duarum septimanarum, tanquam nullus eorum vlterius progrediatur. Verũ ante quartãdecimã diẽ multi iudicari possunt. In quibus verbis Hyp. dicto promotus Gal. terminum attigit, quẽ morbi acumen & virtutis tolerantia diffiniunt. Quid aliud præterea vult cum in hunc modum scribit si quibus inquit horum cœpit dolor die primo, die quarto præmuntur maxime, & quinto, ad septimum soluuntur tur. Quid nam aliud intelligit per dicta verba, quàm quod dictum est? nempe dolorem capitis vehementem & continuum, naturam vltra septimum citra aliquam quattuor crisiũ ferre non posse. Vt melidiæ contigisse scribit. Ipse præterea deterrimas dixit febres ac signis affligentes difficilimis, quarta die aut citius interimere. Quantum autem ad prædictionem iuuet, iam dicti termini præcognitio Hyp. ostẽdit in hæc verba. Screatio flaua nõ multo permixta sanguini in pulmonis morbo, si inter initia excernitur, salutaris admodum est, si septimo die vel tardius minus secura est. In cuius expositione, Gal. ita scribit, si vero screatio talis persistat qualis ab initio erat ad diem septimum, periculum imminet exolutionis virium antequam morbus coquatur. Ob eam rem minus securum videri dixit pluribus diebus permanere talem screationem. Idem adhuc aper-

3. ꝑdictionum.

In libro de morbis vulgaribus.

2. prædictionum.

tius de vrina cruda, transactis aliquibus morbi diebus, persistente. De qua ita scripsit eodem libro. Si inquit multi temporis sit morbus & vrina talis persistat, subintellige cruda, periculũ est, quod non possit homo sufficere, quousque coquatur vrina. Vides ne ex verbis Hyp. necessarium esse ad prædictionis scientiam, præcognoscere terminum ad quem vsque, ferre possit natura laborantis, morbum & eius acumen. Et postea adhunc cõferre coctiones, vt quod futurũ sit præcognoscamus.

CAP. XXV.

MAnifestum igitur ex dictis est, statum de quo locutus est Hyp. in Apho. À quo victus formam inuestigandam diximus, terminum esse ad quem vsque, laborantis virtus morbi acumen, citra aliquam quattuor crisium ferre possit. Quia vero terminus hic symptomatum incremento finem imponit, status ab Hyp. nuncupatur. Et quia tempus futuræ crisis longissimum complectitur, terminus crisis dicitur. Fiunt apud iam dictum terminum, maxima symptomata ob dictam causam, tum ob vltimos naturæ conatus. Potentiæ enim naturales necessitatem assumentes, fortius operantur, vt ostensum est in libris de facultatibus naturalibus. Multoties accidit vt morbi coctiones ad præfinitũ compleantur terminum, tunc triplici ratione symptomata augentur. Nempe ob statum symptomatum, tum ob vigentis coctionis rationem, tum ob crisim. Simul'que tunc omnia tria symptomatum genera coincidere. Hoc in febribus continuis vsu venire comperimus. Aliquando contingit vt fiant & compleantur ante dictum ter=

minum coctiones, & soluatur morbus. Accidit'que hoc ob materiæ morigerationem, aut ob victum iusto magis tenuem. Ad primum spectat modum, quod dixit, simplicissimas febres, ac signis firmatas securissimis, quarta die aut citius desinere. Secūdū attigit in Apho. vbi dixit contemplari igitur oportet ægrotantem, si sufficiat cum victu ad statum, & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus ante deficiat, atque obtundatur. De laborantis robore, & morbi acumine, facto iudicio, terminum coniecimus, ad quem vsque ęgrotans morbi acumen citra aliquam quattuor crisium ferre poterat, eo vsque ducere, victum posse ægrotantem. Quod si huic tenuem magis quam oporteat victum exhibeas, alterum duorum accidet. Aut ægrotantis natura ob tenuitatem cibi alleuiata, diutius morbi causæ vacans, citius hoc est ante præfinitum terminum coctiones complebit, & sic morbus soluetur ante statum, in quo maxima futura erant symptomata, morbus'que obtundetur, quod idem est ac hebetescat, hoc est nō perueniat ad vltimam incrementi magnitudinem. Aut eueniet, vt coctiones complere non potens natura, imbecillis facta ob cibi tenuitatem, deficiat ante dictum terminum. Quapropter, cum anceps sit euentus, cauendum est ne magis tenuem exhibeamus victum eo, qui ægrotantem valeat ad præfinitum terminum ducere. 3. prædictionum.

Vocemus hunc victum medium clarioris sermonis gratia. Duo igitur considerare oportet, quisquis tenuiorē victum medio exhibiturus sit, nempe vtrum morbus, an æger prius deficiat. In bene morigeratis morbis,

quorum materia parum à naturali symetria discesserit, credendum est tenui victu morbum & non virtutem defecturam, vt infra latius ostendemus cum de febre flegmatica à dulci aut naturali pituita eueniente nobis sermo fuerit. In ijs enim natura ob cibi tenuitatem magis morbo incumbente, futuras coctiones ante præfinitum terminum sperabimus, ob materiæ morigerantiã. At in male morigeratis morbis quorum materiæ valenti sunt affectæ putredine, tenuiorem victum medio ministrare caueto. Nam virtus potius quam morbus ante terminum præfinitum quem deinceps statum vocabimus deficiet, materia non cedente. Verum hoc tanquã vniuersale habeto dogma, victum exhibere qui seruare ægrotantem ad statum possit. Hoc tenuiorem non dabis nisi cum morbum defecturum, & non virtutem ægrotantis ante statum conieceris, hoc fiet si ante statum coquatur morbus. Hoc est quod Hyp. dixit contemplari igitur oportet ægrotantem si sufficiat cum victu vsque ad statum, & non quid prius ille deficiat nec possit cũ victu perdurare, vel morbus ante deficiat & hebetescat. Ex dictis licet colligere, morbi statum, & terminum quem morbi acumen & virtutis tolerantia definiunt & crisis terminum idem indicare. Hunc præcognoscendum ex ijs quæ morbus affert symptomata, & non ex signis coctionis. Nec id cum dictis Hyp. pugnat, cum dixit coctionem velocitatem crisis & signum salutis certum portendere, neque cum scripsit alibi, quæ citius magis'que madescunt indicationis denuntiant celeritatem, neque ijs quæ Gal. in tertio de Crisibus scripsit.

In 1. de morbis vulgaribus.

Primo de rõne victus.

Aliud enim est crisim ipsam inquirere, & crisis terminũ, nam crisim vtrum bona futura sit, & quando maxime, ex coctionis signis conijciendam esse opinamur. Quia naturali ordine coctio semper expulsionem præcedit. Terminus vero crisis non ex ijs, sed ex morbi vi & virtutis resistentia præcognoscitur. Primũ per morbi symptomata, secundum per virtutis robur conijciemus. Hũc ergo terminum tanquam immobilem & firmum, præcognitione d gnum esse, vt ab eo exhib ndi victus, & prædictionis scientia sumatur. Quod vtrunq; adipisci potest facilius, coniectura habita huius termini, ex dictis manifestũ est. Adhuc apertius illi fiet qu squis in lectione Hyp. exercitatus fuerit.

CAP. XXVI.

NEque obstiterit, si ab eo quò diximus termino victus formam summi conualituris pariter & morituris victus rationem diffiniret Hyp. Cum tamen huius contrarium asserat Gal. cum ita scribit Apho primo, quorum inquit summum vigorem excipit mors, in his ea solum artis parte quæ prędicit vtemur &c. Neque igitur curationem, neque victus rationem ijs adhibere consulit qui morituri sunt. Nõne hoc idem sequitur si penes statum quo ad coctiones victũ diffinias, quot enim sunt, qui eo tempore quo maxime coctionis opus complementum recepturum sit, euita discedunt. Verum si rem altius consideremus, haud quaquam profectò sapientissimi viri autoritate dignum videtur esse putare, solum hęc dogmata de ratione victus scripsisse Hyp. ad eos quos seruãdos esse certo sciamus.

Nam cum ars medica nil certi præstare possit, continget multoties vt felicia promittente medico, moriatur infirmus, & aliquoties sanetur præter medici opinionem. Nonne hæc facile credibilia sunt, vt pote cũ nostra ætate plura horum exempla inter hominum conuentus adducantur. In quibus male audiunt medici. Quare crudelis hominis officio & non medici fungeretur, si artis opem seruandis negaret. Prauam præterea concipiendi de arte medica opinionem hominibus ansam præberemus, cum ij quos sanandos artis remedijs sumpserimus moriantur, quibus vero de eorum salute desperantes nil remedij attulerimus, sponte sanentur. Quare Hyp. autoritate dignius est putare, hæc dogmata de victus ratione, oĩbus tã qui euasuri sint, quàm qui morituri tradidisse ægrotantibus. Atque eo magis quod hæc artis medicę pars, quę victum docet, medicum ad quemcunque euentũ solet insontem reddere. Non sic ea quę de pharmacis agit, aut manualem docet operationem. Diximus in ijs quæ præcesserunt, à duobus victus formam accipiendam, nempe à morbi constitutione, in qua status distantia comprehenditur, & ab ægrotantis robore. Per statum terminum intelleximus, ad quem vsque ægrotantis vires morbi acumen citra aliquam quattuor crisiũ ferre possint. Principiumque huius termini inuentionis dedisse Hyp. nẽpe, cũ per symptomatũ differentias, & eorundem vehementias, singulis morbis suum diffinijt terminum, ad quẽ usque increscentibus symptomatibus statum morbi esse, nisi coctiones præueniant. Ob quarum causam morbum solui ante statum intellexisse.

Hyp. diximus. A dicto termino præcognito, victus formam inueniendam esse. Vnde si morbus ad quartum terminari debeat, sola abstinentia, si ad septimum poculis, si ad vndecimum tenui sorbitione, si ad quartumdecimum crassa, nutriendos esse ægrotantes. Ab ijs robur laborantium consulendum, an prædicta victus forma ad præfinitum terminum citra magnum virium detrimentum durare possit. Quod si tenui sorbitione eo seruari non posse existimemus, crassam ministrabimus, qua durare possit, eritque hæc ægrotanti medius victus. Tenui autem sorbitione qua æger durare non valet non vtemur, nisi cum senserimus morbum defecturum ante terminum, & non virtutem ægrotantis. Id quod contingere in bene morigeratis morbis, quorum materia parum à naturali symetria discesserit. In male morigeratis morbis, quorum materia valenti sunt affectę putredine, tenuiorem victum ministrare eo, qui ægrotãtem ad præfinitum terminum ducat, summæ cauendum est.

CAP. XXVII.

Neque silentio præter eundum, omniáque dicta sunt, in ijs solummodo intelligenda esse morbis, qui posterius statum habituri sint. Quique leuiter & summissim incipiũt, sub increscunt vero, et exacerbãtur secundum singulos dies, aut alternos, circa crisim vero abunde lucent. In ijs diximus à cõstitutione morbi, & robore ægrotantis, vna cum status distantia, victus formam inueniendam esse. Verum scire oportet, morborum esse duos alios modos, qui diuersam victus rationem indicant, ac longe illi dissimilem quam hucus-

que tradidimus. Quàm ob rem animum huc reuocato studiose lector, quæ enim tibi dicenda paro, ad intellectum eorum quæ ab Hyp. in libris de ratione victus, & in libro Aphorismorum scripta sunt, maxime conducent. Vt aperte senis mentem percipias in ijs quæ ad victus rationem attinent. Quæ quantam secum in artis ope vtilitatē afferant, vel tu ipse iudicare poteris. Status quantum ad symptomata attinet, tribus ægritudinis temporibus haberi posse scito, vt in morbi principio, nempe cum materia cruda est. Aliquando posterius, vt cum maxime complentur coctiones. Sunt & morbi qui inter medio tempore vigeant. Huius speculationis primus autor Hyp. fuit. Vir sanè intellectu maxime philosophico, diligentissimus'que scrutator eorum quæ humano corpori accidunt. Hic igitur in primo de morbis vulgaribus tertio cōmentario ita scribit, εἰσὶ δὲ τρόποι καὶ καταστάσιες καὶ παροξυσμοὶ τούτων ἑκάστου τῶν πυρετῶν ὁμοίως ξυνεχέων διαλειπόντων. αὐτίκα γὰρ συνεχὴς ἔστιν οἷσιν ἀρχόμενος ἀνθεῖ καὶ ἀκμάζει μάλιστα, καὶ ἀνάγει ἐπὶ τὸ χαλεπώτερον. περὶ δὲ κρίσιν καὶ ἅμα κρίσει ἀπολεπτύνεται. ἔστι δὲ οἷσιν ἄρχεται μαλακῶς καὶ ὑποβρύχιος ἐπαναδιδοῖ δὲ καὶ παροξύνεται καθ' ἡμέρην ἑκάστην περὶ δὲ κρίσιν καὶ ἅμα κρίσει ἅλις ἐξέλαμψεν ἔστι δ' οἷσιν ἀρχόμενος πρηέως ἐπιδιδοῖ καὶ παροξύνεται καὶ μέχρι τινὸς ἀκμάσας πάλιν ὑφίησι μέχρι κρίσεως καὶ περὶ κρίσιν ξυμπίπτει δὲ ταῦτα καὶ γίνεται ἐπὶ παντὸς πυρετοῦ καὶ ἐπὶ παντὸς νοσήματος, hoc est secundum veram

versionem, sunt modi, & constitutiones, & paroxismi cuiuslibet harum febrium, similiter continuarum, inter mittentium, statim enim continua est quibus incipit floret, & viget maxime, & ad difficilius ducit, circa crisim vero & simul in crisi imminuitur. Sunt quæ, incipiunt leuiter, & summissim, sub increscunt vero & exacerbantur secundum singulos dies, circa crisim vero & simul in crisi abunde lucent. Sunt quæ incipiũt leuiter, augentur vero & exacerbantur ad certum augentes terminum, rursus remittunt ad crisim vsque, et circa crisim. Accidunt hæc & fiunt in omni febre, & in omni morbo. Hæc sunt Hypp. verba, quæ ob id maxime expositione digna esse duxi. Propter id quod statim subiungit, oportet inquit ex horum consideratione offerre victum. Triplicem in ijs verbis dessignauit Hyp. modũ aut differentiã quæ cõtingere possunt singulis morbis & febribus. Aliquando symptomata quæ morbum sequuntur, statim ab initio molestant, & grauiter torquent ægrotantem, augentur & increscunt et difficiliora fiunt, circa crisim vero & simul in crisi imminuuntur, hoc est cum morbi materia ferè cocta est, & perfectæ cocta, quo maxime in tempore crisis fieri solet. Hoc accidit in pleuritide, & peripneumonia, & in omni inflammatione quæ in ijs corporis partibus fit, quæ ad motum à natura ordinata sunt. Hæc inquam à naturali motu magis perturbantur ob multitudinem materiæ & eius cruditatem. Quapropter huiusmodi partes cum inflammationibus corripiuntur, inter initia, materia cruda existente, grauiora patiuntur laboran=

tes, symptomata, & periculosiora, quàm cum morbus coctionem recipit. In omni præterea febre secundum accessiones aut exacerbationes inuadente, cum à multa ortum habet materia, aut nimis crassa, deteriora fiunt morbi principia. Cuius signum est illud quod Gal. tertio libro de Crisibus cap. ix. scripsit. Nempe in principijs accesionum contingere mori ægrotantes ob multitudinem materiæ, & ob eius crassitiem, aut inflāmationis magnitudinem. Scis enim mortem semper in deteriori parte paroxsmi fieri. Cum igitur ob dictas causas grauiora fiant accessionum principia particularia, manifestum est, eadem ratione totius morbi vniuersale principium fore deterius. Cunque in pleuritide, aut peripneumonia, morbus coqui incipit, minus grauat inflāmatio membra spiritus, tum quia coctione leuior fit, tum quia materia per halitum & per screatum imminuitur. Quę causa sunt imminutionis symptomatum, & dolorum, vt scribit Hyp. dolores inquit pleuriticorum cōfestim sponte desinunt, vbi aliquid effatu dignum tum expui, tum expurgari cœperit. In febribus similiter quæ ratione multitudinis, aut crassitiei, deteriora fiunt principia, cū coctionis vestigium in materia cōspicitur, & multitudo imminui incipit, & crassities materiæ attenuari. Vt à Galeno in libro de Totius morbi temporibus scriptum est. Aliquando symptomata in initijs morborum debilia sunt & parua, augentur indies & exacerbantur, circa crisim vero & in crisi abūde elucent, hoc est eo tpe quo maxime complētur coctiones, in maxima sunt vehementia. Fiuntque tunc temporis grauissima symptomata, ob

1. de ratiōe victus.

duplicem

duplicem causam, ob materiæ putredinem, & ob maximum certamen naturæ cum morbo circa materiæ dispositionem. Ad hunc modum reducitur quod dixit circa generationem saniei dolores & febres accidunt magis quàm facta, accidit hoc in omni inflãmatione, quæ ad suppurationem peruentura sit, cuius materia multitudine, & qualitate, mediæ sit dispositionis, vt in flegmone euenit cum ad suppurationem peruenit, grauiora tunc accidunt symptomata cum maxime complentur coctiones & fit sanies, quàm ante actis morbi temporibus. In febribus similiter quarum materia ad vnam creticam seruatur expulsionem vt incontinuis, tũc grauiora fiunt symptomata cum maxime complẽtur coctiones. In summa vt iterum repetam, in omni morbo, in omni febre, vbi materia multitudine, aut crassitie, aut acri qualitate, ægrotantis naturã grauiter molestat, inter initia grauiora fiunt symptomata. Et prout morbus coctionem recipit ita mitiora fiunt. Hoc modo plures febrium flegmaticarum & tertianarum & quartanarũ multo magis quintanarum, inter initia grauius affligunt, & periculosiora sunt. Priuatim hoc accidit thoracis morbis ob partium motum. Cum autem morbi à materia mitiori ortum habent, vt est sanguis, dulcis pituita naturalis melancholia, tum qui ex bile & pituita miscentur adinuicem humores, circa morbi initia omnia mediocriter se habent. Procedente morbo augentur symptomata, tũ ob qualitatem putredinalem magis auctam, tum ob maiorem pugnam inter naturam & morbum. Ita vt circa crisim & simul in crisi maxima fiant ob dictas causas.

Tum vltimo ob ea quæ crisis subitam mutationem inse-quuntur symptomata. Vnde fit, vt omnia tria generum symptomatum in vnum tempus coincidant. Nempe quæ à morbo, & quæ à natura, & quæ ab vtroque simul proueniunt. De hoc igitur statu in quo tria symptomatum genera coincidunt. Intelligendum esse Apho. nempe. quando morbus in suo vigore constiterit, tum victu tenuissimo necessarium est vti. Ob id dixit Hip. circa crisim & simul in crisi abunde elucet. qualem victum in morbis qui huiusmodi statum sortiuntur ministrare debeamus, in superioribus diximus. Quãdoq; cõtingit vt intermedio tempore grauiora accidant symptomata commotionis humorum causa, hæc sæpius in augmento morborum fieri contingit, quàm in principio, in quo immoti perstãt in proprijs locis humores. Et quàm in statu, vtpote iam ferè facta separatione. quæ ergo à vi morbi commotio fit, in augmento magis accidit, in quo adhuc praui cum bonis mixti sunt, at quæ à natura fit commotio non similiter est, nam facta coctione natura vt tristantes expellat humores commotionem in corpore excitat. Secundum igitur hanc triplicem consideratio nem, nempe an status quo ad symptomata, inter morbi initia, materia adhuc cruda existente eueniat, aut cum maxime complentur coctiones, aut intermedio tempore, inquirendos victus fore laborantibus salubres. Quare à triplici status consideratione, triplex victus elicienda est ratio. Alia enim habenda est, cum morbus inter initia statum habet. Alia cum eo tempore quo maxime complentur coctiones. Et demum alia cum intermedio

tempore viget. Longe enim differunt victus qui horum singulis conueniunt. Horum trium modorum considerationem ad victum maxime necessariam, primus Hip. tradidit. Primi modi meminit in libris de ratione victus. Vbi sub exemplo pleuritidis & peripneumoniç de omnibus qui à principio florent, & statim vigent morbis, ad crisim vero mitiores fiunt, agit.

CAP. XXVIII.

IN ijs igitur morbis, victus formam non à distantia status vt supra diximus, sed à coctione morbi summendam esse. Ita vt cum morbus crudus omnino est, tenui aut tenuissimo vti victu oporteat. Cum autem coquitur plus concedendum, & iusta maiorem coctionem, magis ministrandum. Primum ostendit Hip. Cum dixit nempe si morbus siccior quàm vt quispiam existimet fuerit, non multum dare oportet, sed ante sorbitionem vel mulsam vel vinum, vtrum magis auxiliaturum putaueris propinare conuenit. Manifestum autem tibi est ex ijs quæ supradicta sunt, pocula, victum tenuissimum constituere. Secundum ostendit in ijs quæ sequuntur verbis, vbi ita ait. At si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur, talia sint qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem vt dicam summatim augere conuenit. Nempe quæ citius magis'que madescunt iudicationis denuntiant celeritatem. Tertium similiter ostendit cum statim scribit, & quanto fuerit expurgatio maior, tanto magis ad iudicationem vsque dare oportet. Neque id prçter rationem est, nam in huiusmodi morbis qui ab initio vigent, grauiora inter initia accidunt symptoma-

1 de rõne victus.

ta. Ob materię cruditatem, aut multitudinē, aut acrem qualitatem, vtrunque autem coctione cum euanescat, vt supra ostendimus de mente Gal. in libro de Totius morbi temporibus, fit, vt à coctione materiæ, victus formam, & quantitatem mutandas fore nemo non arbitretur. Id quod ipse Hip. ostendit statim, ac si formæ victus mutationis rationem reddat. Dolores siquidem inquit pleuriticorum confestim sponte desinunt, vbi aliquid effatu dignum tum expui, tum expurgari cœperit, nempe & purgationes longe perfectiores existunt, minus'que purulenti ita fiunt, quam si quis aliter cibaret. In omni ergo morbo in quo procedens coctio symptomata mitiora reddit, ab ea victus ratio summenda est. Itē victus forma & quantitas ad maius mutandę sunt. Ita vt toto eo tēpore quo materia cruda est, vna victus forma nempe tenui aut tenuissima alendus sit ęger. Cūque in materia coctionis manifestum signum appareat crassior victus exhibendus est. Secundi autem modi meminit in Apho. vbi docet victum inuestigandum secundum status distantiam, & morbi constitutionem, de quo diffuse in superioribus dictum est. Hac igitur de causa Hip. in libris de ratione victus, coctionis meminit ad victus formam inueniendam. Meminit & quandoque status, vt in Apho. libro obscure nimis prædictos modos attingens, vt scopos ad victus inuentionem. Quod manifestæ apparet ex ijs quæ Gal. scripsit, omnia quæ ab Hip. dicta erant de ratione victus repetens sub compendio, vbi ita scribit, meminit quoq; & coctionis morbi sępe, non paruum scopum vniuersi victus & quæ in

In fine terti de rōne victus.

ipso fiunt mutationum hunc faciens. Pari modo & de morbi vigore quippiam dixit, ad quem respiciens neq; tanquam ad abiectissimum in victus ratione scopum, alimoniã ministrat. Hæc quidem scripsit Gal. de coctionis scopo, non ostendens in quibus morbis ad victum inueniendum respicere eam debeamus, & quibus morbi statum. Hæc igitur omnia & singula diligenter in morbis aduertere oportet. Et has tres morborum differentias aut modos, in singulis morbis à natura & habitu nostro fieri posse. Vt prudentissimę tetigit Hip. in eo neque.n.horum video, ita expertos medicos &c. Quapropter considerandã esse ægrotantis naturã, & habitum, nam picro cholorum natura talis est vt febrium initia deteriora efficiat. Qui etiam natura frigidi sunt, exilium venarum, crasso habitu, pingui ab domine, præterea corpis nostri partes vt septum, pulmo, & guttur similiter hñt. Biliosi mediocri habitu quicunq; sunt & sanguinei & hepar, hæc magis propè crisim exacuunt. Hoc est profectò qđ Hip. loco citato dixit, quæcunq; nostra natura & habitus singulis in morbis fabrefaciat affectus & species omnigenas quæ cognita salutem & mortem, ignorata ferant. Sed forsan quis dubitabit causam ob quam in Aphorismorum libro in quo vniuersalia victus dogmata collegit, secundæ morborum dispositionis qui inter initia vigent non meminit. Vt in ijs suam victus rationem doceret. Quin immo quicunque scripta Hipp. peruigili & non tumultuaria lectione euoluat, sex de victus ratione Aphorismos consequenter scriptos inueniet. Ab ijs septimus sic habet qui=

In 2. de rōne victus

buſcunque quidem igitur ſtatim ſtatus eſt tenuiter di-ctare conuenit. Quibuſcunque ſtatus poſtea ad illud & ante illud parum, auferendum, prius vero vberius reficiendum vt ſufficiat ægrotans. Cum attente legeris eos qui hunc præcedunt Apho. de victus ratione inuenies, breuitatem ſermonis Hipp. & eiuſdem ſententiarũ grauitatem ſeptimum Aphoriſmum tanquam ſuperfluum non admittere. Si de ijs quæ dixerat intelligatur. Præterea ſi de ijs morbis ageret qui ob vltimos labores ſtatim vigẽt & criſim hñt, tenuiſſimo eos victu vt antea dixerat & non tenui ſcripſiſſet indigere. Alium igitur tetigit ſtatum, qui ita vehemens non ſit, quem plurimi morborum inter initia obtinent, quique durat donec materia morbi cruda eſt. Nam cum ſymptomata quæ inter morbi fiunt, ob ſolam materiæ multitudinem, aut craſſitiem, aut humoris acrem qualitatem eueniant, & non ob commotionem naturæ ad expulſionem parantis triſtantes humores, neque ob maximam pugnam naturæ coquentis cum morbo putrefaciente, vt eo fit maxime tempore quo complentur coctiones, fieri nequit vt ſint vehementiſſima & vltima. Prout ijs contingit morbis qui tunc maxime vigent, cum duo aut tria ſymptomatum genera coincidunt. Verum quia in morbis ijs qui inter initia vigent, quibuſdam vehementiora contingunt ſymptomata & periculoſiora, ita vt eorum ratione tenuiſſimus victus adhibendus eſſet, quibuſdam vero minus vehementia & periculoſa, ita vt tenuis victus ijs conueniens eſſet, prudentiſſime Hipp. ijs morbis tenuem victum miniſtrandum docuit in Apho. cum ait

quibuscunque igitur statim vigor est tenuiter diætare conuenit. quibus vero posterius debet cōsistere, in ipso consistendi tempore & parum ante illud cibus subtrahendus. Prius vero vberius reficiendum, vt æger suffi- ciat. Quibus verbis de eo morborum statu agit, qui in eo maxime fit tempore quo conficiuntur coctiones. Duos ergo prædictos modos tetigit morborum Hip. in dicto Apho. à quibus victus rationem inuestigare docuit, breuissime quidem vt solet. Cum ergo symptomata periculosa & vehementia inter initia fiunt, vt in angina, & pleuritide morosa, tenuissimo victu dum materia cruda est vtemur. Pront ipse monuit in libro de ratione victus. Quod si aliter eueniant tenui victu vti sat erit. Nam cum talia symptomata eo usque durent quo ad coctionem materia recipiat, id'que non vna die sed multis fortassis fiat, consulte non ageretur, si tenuissimo victu toto eo vteremur tempore, quo materia cruda permanet. Repentinas præterea mutationes detestatur Hip. sub ijs verbis, nec repente quicquam huc, vel illuc, mutare in toto negocio licet. Quapropter homine hesterna die, solido cibo uso, omnimodā inediam hodie iniungere, conueniens non est, vbi corporis dispositio maximo interuallo, à naturali non discesserit symmetria. Quod in solis peracutis & vltimis accidit morbis. In ijs rationabile est ut victus similiter maxime distet ab eo, quo bona vsus est valitudine. Ob id prudenter dixit senex mutare quidem bene habet, si recte transferatur.

2. de rōne victus.

CAP. XXIX.

CAeterum quia non facile est cuilibet ea quæ dicta sunt percipere, neque percepta ad opus deducere, omnes de statu, quas hucusque percurrimus speculationes. Ad indicationem vnam in maximũ studiosorum commodum reduximus. Scimus enim hominum mentem paucis satiari. Quapropter omnia quæ hucusque de victus forma diximus, secundum mentem Hip. faciliori, magis'que compendiosa via tra demus. Paruo siquidem pondere gaudet hylas. Totum ergo huc studiose lector animum reuocato. Scire autem oportet, virtutem & morbum aliquando non, & quãdoque parum, nõnunq̃ multum, aut quãmaxime vrgere. Horum singula cognoscere medicum oportet, hoc modo. Virtus tunc maxime vrget, cum prope syncopin est. Quod ex pulsu, & facie certissime deprehendere poteris. Multũ vrget, cũ ęgrotans ijs ꝑturbatur symptomatibus, quæ syncopin solẽt inducere. Talia sunt ventris crebra deiectio corpus absumẽs, sanguinis fluor ĩmodicus, incessantes sudores. Multum præterea tunc dicimus vrgere virtutem, cum in ijs quæ à voluntate fiunt actionibus multum deficere ægrotans videtur. Sed diligenter considerare oportet, cum ab ijs iuditium imbecillitatis naturæ simus facturi, ne ob morbi acumen in huiusmodi imbecillitates deueniant laborantes, & nõ ob venarum inanitionem. Quod à rationalium medicorum principe Hip. scriptum est, in hæc verba. Ingens siquidem malum est, si ob laborem, morbique acumen, imbecillitato, porrexerit quis potum vel sorbitionem co

Lib. 2. de ratiõe victus.

piosiorem, vel esculentum, imbecillitatem eam ex vasorum inanitione contigisse arbitratus. Neq; sanè calumniam effugere potest, qui ægre valentem ex vasorum inanitione, non cognoscit, torquet que diæta. Diligenter ergo obseruare oportet, naturæ imbecillitates, an ob inanitionem venarum sensibilem, aut sensui occultam, aut ob morbi acumen eueniant. Cum ob venarum inanitionem sensu perceptam, aut occultam, imbecillitates fiunt, multum tunc virtutem vrgere putandum est, non ita vero ob morbi acumen. Vtrunque autem discernere à nullo alio quàm à pulsu certius possis. Non ex eius magnitudine, vtraque enim dispositio, paruum efficit pulsum, verum ex distensione & contractione, id percipi licet. Pulsus siquidem eorum qui ob morbi acumen imbecillitantur, parum distenduntur, quasi puncto digitum feriant, festinéque contrahuntur, ac si intrò surripiantur. Eorum vero qui ob inanitionem venarũ inualidi fiunt, longe aliter habent, ita vt qui vis illud dignoscere possit, si incognitione pulsuum mediocriter sit exercitatus. Aut enim æquales faciunt contractionibus distentiones, aut has quidem maiores. Hoc quidem magni facere oportet. Nam non solum ad victus inuentionem, verum ad eam artis partem, quæ morbos curat maxime valet. Parum virtus vrget, aut ratione ætatis, vt cum puerulus, aut senex infirmantur. Aut cũ corpora rara, & tenuium succorum, febribus corripiuntur. Vbi præterea irritantia adsunt symptomata, vt pruritus ingens, tenasmon, morsus quem acris humor in uentriculo aut intestinis parit. Vigilia, ira intus com

pressa, mœror, & similia quæ communi proritationis nomine comprehenduntur, Vt in expositione illius de mutatione, quæ in hæc uel illa &c.

2 de ratione victus.

CAP. XXX.

MAxime vrgere morbum dicimus cum vltimos affert labores. Hos esse intelliges cum symptomatibus coniuncta est inquietatio, & angustia. Tunc multum vrget, cum aliquod affert sæuum symptoma, vt continuas vigilias, aut perpetuum soporem, aut cõma, aut fortem capitis dolorem continuum, aut difficilem anhelitum, delirium, aut cum vrina supprimitur, aut aluus nimis ciet. Parum vrget, vt cum sitim patiatur, aut cibos valde fastidiat, aut si prçter modum astricta sit aluus. Aut cum ea successiuis temporibus patiatur symptomata, quæ morbum multum vrgentem reddere diximus. Quando igitur maxime vrget virtus, id exhibendum fore præcipimus, quo maxime laborantis natura seruari possit, quamuis illud morbus prohibeat. Nam virtutis maxime vrgentis indicatio, eam quæ à morbo suppeditatur, obscurat indicationem, quãquam morbus maxime tunc vrgeat. Nonne hoc à Gal. rationalium medicorum summo concessum est? in Aphorismis. Vbi ita scribit, quo circa aliquando in ipso morbi vigore, vbi symptoma aliquod interuenerit robur naturç dissoluens, nutrire cogimur. Sciendum præterea has victus formas sibi proximas esse. Nempe quç comeduntur, sorbentur, & bibuntur, & inediam. Ita vt inter has aliam intermediam victus formam inuenire nequeas. Præterea, virtus pro sui custodia illum maxime cibum indi-

cat, quem coquere, & digerere & (vt oportet) appara re poſſit. Quo fit vt cum virtus multum imbecillis eſt, victum per ea quæ comeduntur non indicet, quando quidẽ difficilioris coctionis eſt. Sed ſorbitiones aut potus. Morbus præterea maxime vrgens ex ſui ratione omnem cibum prohibet. Manifeſta hæc omnia ſunt & à rationalibus conceſſa medicis, pręcipue Hip. & Gal. Ponamus igitur primum, maxime morbo vrgente, non vrgere ęgrotantis virtutem, quę nam victus forma huic conueniet, ſola inquam inedia. Nam virtus non diſſuadet id quod morbus maxime vrgens indicauit. Tãdiúq; hæc victus forma ſeruanda eſt, quãdiu virtus & morbus ita habuerint. Secundum, quòd ſi idem virtutis robur cum morbo multum vrgente coniungatur, victum per pocula exhibebimus. Nam ſi vehementiſſimo morbo aut maxime vrgente ad proximam differentiam, quę ſenſu percipi poſſit, deſcendas, quem alium quàm valde acutum morbum, aut multum vrgentẽ intelliges. Quod ſi conſimiliter ab inedia ad victum, qui eidem tenuitate ſit proximus, aſcendas, quem alium quàm per pocula victum, magis tenuem inuenias? cum ergo morbo maxime vrgente inediam ſolam miniſtremus, virtute non diſſuadente, manifeſtum eſt, quod cum morbus proxime à vehementiſſimo degenerat, victum inediæ proximũ, miniſtrandum fore. Nec ad id recte inueniendum opus eſt ſimiles ſeruare proportiones, inter victus, ac inter morbos. Ars enim medica, res non prout à natura ſunt conſiderat, ſed ut ſenſum immutant. Cùm ergo à morbo maxime urgente morbus multum vrgens, & inediæ vi-

ctus per pocula proxime abesse sensu percipiantur, recte colligitur victum per pocula morbo multum vrgenti, virtute non dissuadente conuenire. Simili ratione colliges, virtute similiter habente & morbo parum vrgente, sorbitiones exhibēdas esse, verum cum inter symptomata, quæ morbum multum vrgentem reddunt, & ea quæ parum, medio sint loco symptomata sensu perceptibilia, quæ manifestæ ab alijs discerni possint, non immerito inter morbos parum & multum vrgentes, mediæ vehementiæ morbus collocabitur. Diximus autem supra fortem capitis dolorem continuum, delirium, difficilem anhelitum, vigilias perpetuas, aut soporem, cōmata, vrinæ suppressionem, & similia, cum vna permanent vehementia symptomata esse quæ morbū multum vrgentem efficiant. Hæc eadem si successiuis fiant temporibus, ita vt modo sint, in crastinum omnino euanescant, morbum parum vrgentem constituunt. Quod si hæc eadem cum à sua desistunt vehementia non omnino euanescere intelligas sed solum remitti, medij acuminis morbum constituent, & mediocriter vrgentem. Cum ergo morbo multum vrgenti, nihil quæ vrgente virtute pocula exhibenda fore ostēderimus, fit, vt si ab huius vehementia, proxime morbus degeneret, differentia sensu perceptibili, morbus quem nunc diximus, medij acuminis succedat. A` poculis similiter si abscedas ad proxime crassiorē, tenues esse sorbitiones, indicante sensu, comperies. Ostensum igitur tertio est, quod cum uirtus similiter habet, & mediocriter morbus vrgeat, sorbitiones fore ministrandas tenues. Tum quarto,

quod cum parum vrgeat, crassas. Simili ratione quinto, cum morbus omnino non vrgeat, virtute similiter habente, victum exhibendum fore per ea quæ comeduntur. Ponamus rursus sexto, quod virtus parum, & morbus maxime vrgeant, quem nam alium huic ministrabis victum, quàm pocula, si recte ea quæ dicta sunt percepisti. Nam ab eo quod primo ostendimus, simili via deduci potest. Septimo, stãte eadem morbi vehementia, virtus si multum vrgeat, tenues sorbitiones fore ministrandas. Sciendum plures horum qui ita habent interire. Octauo, morbo multum vrgente, virtus si parum vrgeat, tenues dandas esse sorbitiones. Simili modo ab eo quod secundo ostendimus loco, manifestum est. Nono, virtute multum vrgente, stante eadem morbi vehementia, crassas. Decimo, morbo mediocriter vrgente, virtus parũ si vrgeat, crassas quoq; ministrandas fore sorbitiones. Vndecimo, quod si multũ vrgeat uirtus, stãte eadẽ morbi vehementia, quæ comeduntur, si ea coquere laborantis natura possit. Cum enim virtus multum vrget, nõ solum tunc morbus tenuem victum indicat, sed virtutis imbecillitas tanquam secunda causa tenuitatis accedit. Duodecimo, cum morbus & virtus parum vrgeant, victus per ea quæ comeduntur exhibendus est. Quod ex ijs quæ quarto ostendimus loco perspicuũ est. Tertiodecimo, morbo parum vrgẽte, virtus si multũ vrgeat ea quæ comeduntur. CAP. XXXI.

ET vt in promptu horum singula lectori fiant, in tabellam ea hic reduximus, vt facilius memoria teneri possint.

		f	g	h	i
		virtus non vrgens	virtus pa= rum vrgẽs	virtus mul tum	virtus ma= xime vrgẽs
a	morbus maxime	obſtinen= tia ♃	pocula	tenues ſor= bitiones	victus quo maxĩe ſer= uari poſſit
b	morbus multum	pocula	tenues ſor bitiones	craſſas ſor bitiones	quo maxi me ſeruari poſſit
c	morbus mediocri = criter	tenues ſor bitiones	craſſas ſor bitiones △	quæ come duntur	quo maxi me ſeruari poſſit
d	morbus parum	craſſas ſor bitiones	quæ come duntur ⊙	quæ come duntur	quo maxi= me ſeruari poſſit
e	morbus non vrgẽs	quæ come duntur	quæ come duntur	quæ come duntur	quo maxi= me ſeruari poſſit

Cæterum nosse oportet, eorum quæ comeduntur multiplicem esse differẽtiam, ita vt hæc difficilis sint coctionis, facilis illa, virtute igitur multum imbecilli existente, si victum per ea quæ comeduntur exhibeamus, danda est opera vt ea quæ leuioris sint coctionis, ministremus. Finge igitur hominem continua febre laborare, quæ singulis alternis diebus fortior euadit. Ita vt & capitis dolorem & vigilias accessionis die patiatur. Die vero intermissionis omnino cessent. Laborans ipse adolescens, gracili habitu, calida & sicca temperatura sit, tenuiũ succorũ, qui citra læsionem vna die abstinere non possit. Morbũ ex notarum concursu parum vrgere scito. Similiter et virtutẽ ob rarũ habitum. Nã huiusmodi hominum compagines facile à morbificis causis soluuntur. Morbum igitur sub signo, d, virtutem vero in; g, inuenias. Quare communem angulum vtriusque lineę coincidentis quærito, sub hoc signo ⊙, vbi scriptum inuenias, victum per ea quæ comeduntur huic fore conuenientẽ. Talem que tandiu exhibebis, donec & virtus & morbus ita habuerint. Sed finge post dies tres, prędicto iuueni symptomata et febres auctata fuisse, ita vt die intermissionis non euanescant, sed vtcunque remittantur, virtus vero vt ante sit morbũ sub, c, quęrito, locum que communem sub signo △, vbi crassas reperies sorbitiones, quas iuueni ministrabis. Sed non solum hoc modo victus ratio prout toti morbo conuenit habetur. Verum prout particulari accessioni. Nam vt plurimum ab initio paroxismorum ad inclinationem inchoantem, anguntur laborantes & inquietantur Non

ſeruantes vnam decubitus formam. Cũ vero declinatio incipit, & vno permanent loco, malum tolerabilius ferunt. Cum igitur hæc ita habeant, maxime vrgent morbi ab acceſſionum initijs ad ſtatum vſque. Virtutes vero laborantiũ vt plurimũ non vrgẽt per id tẽporis. Paruo ſiquidem temporis interuallo exolui virtus non poteſt. quapropter cũ toto eo tempore ab initio ad ſtatum morbus ſit ſub, a, laborantis virtus ſub f, locus communis ſub ſigno ♃, vbi ſcriptam omnimodam abſtinentiam inuenies. Qua, rationabiliter in initijs paroxiſmorum ad declinationem vſque rationalium medicorũ ſummus Hip. vtendum fore in acceſſionibus monuit. Verũ quod ad particulares acceſſiones ſpectat. Sciendũ virtutem niſi cum maxime vrgeat, nihil vrgere. Nam & ſi multum vrgeat, pro eo tamen tempore quod ad paroxiſmi inclinationis initium finitur, virtus non vrget, niſi cum maxime vrgeat. Vnde fit, vt cum prope ſincopin fuerit, aut iam animi deliquio capiatur ægrotans, cibum ei miniſtrandum fore. Quo virtus ſeruetur, & ſi hora ſæuientis ſit paroxiſmi. Sed ſingulas noſtræ tabellæ partes ſecundum ſenis ſententiam eſſe oſtendamus. Morbum maxime vrgentem omnimodã expoſcere inediam, virtute non diſſuadente, quod oſtendit in eo Apho. quem ſupra citauimus, vbi igitur peracutus morbus eſt, & ſtatim vltimos labores habet, extremo tenuiſſimo victu, neceſſarium eſt vti. Quem alium rationabilius maxime vrgere morbum dixeris, quam eum qui vltimos affert labores, cui extremo tenuiſſimum victum conuenire ait, quem ſupra cum Gal.

omnimodam

omnimodam sumus inediam interpretati. Idem apertius scripsit commentario secundo de ratione victus, vbi ait, nec cum morbi vigent feruoremque habent cibum dare. Secundum, morbo multum vrgente, pocula fore ministranda. Quod in primo de victu acutorum scripsit in eo, postea si dolor, vel periculum aliquod cõparuerit, sorbitionem dare oportet, nec multam, nec crassam, sed post septimum, aut nonum si validius sit. Vbi per id verbum si validus sit, virtutis nihil vrgẽtis indicationem addidit. Idem paulo ante apertius dixit, vbi dolor aliquis vexauerit, oximeli bibendum dabis. Manifestum est per hos dolores, non esse eos intelligendos, qui secundum accessiones ægrotantes torquent, sed de ijs qui assidui sunt, & ab inflãmationibus ortum habent, qui morbum multum vrgentem reddunt. Vt manifestum ijs est, qui in libris de ratione victus exercitati sunt. Sed ne tempus teratur in singulis locis citandis, commodius fuerit ita rem ostẽdisse, vt facile cui vis sit, reliqua ab ijs quæ dicta sunt colligere. Ostensum est secundum Hip. mentem, morbo maxime vrgente, inediã, multum vero vrgenti, pocula competere. Cum ergo ab eodem tantum fore condescendendum versus crassiorem victum, quantum morbus mollior fuerit vltimis. Morbo igitur mediocriter vrgente, crassiorem competere victum, quam multum vrgenti, cunque vterque morbus, & qui multum, & qui mediocriter urget, sibi proximi sint uicinitate, manifestum est tenues huic sorbitiones exhibendas fore secundum Hip. mentem. Nam post pocula, crassior proxime uictus tenuis sorbitio est. Pa-

rum uero urgenti crassas, non urgenti uero ea quæ comeduntur. Quapropter eos qui morbo non urgente laborant, si sorbitionibus aut poculis nutrire uelis, non leuiter peccabis. Quod à sene aperte scriptum est, in eo Apho. qui incipit, uictus tenuis atque exquisitus, in morbis quidem chronicis semper, & in acutis quibus non conuenit, falax. Manifestum est, morbos quos chronicos uocat symptomata non adducere quorum ratione morbus urgeat. Sed nec febris continuitatem chronicum morbum admittere. Nã hæc eadem continuitas febris morbum acutum constituit, vt autor est Hipp. & Gal. in libro prædictionum. Tenuẽ ergo uictum quem supra secundum Hip. sententiam in libro de prisca medicina sorbitiones crassas interpretati sumus, & per exquisite tenuem tenues, morbo chronico tanq̃ non urgẽti non cõpetere manifestũ est. Hucusque oñdimus, secundũ senis sententiã qui cõueniant uictus, ijs qui maxime, multum, mediocriter, parumq́ꝫ, & nihil, urgent morbis. Verum in ijs uirtutis tanquam non urgentis scopũ non adduximus. Diximusq́ue cum uirtus parum urgere incipiat, proxime crassiorem uictum, eo quem morbi dispositio indicauit exhibendum. Quod si multũ, uictum qui secundo loco est, fore ministrandum. Ita ut cum uirtus multum, & morbus maxime urgent, tenues sorbitiones competant. Quod asseruit Hip. in tertio comentario libri de ratione uictus, cum de colliquantibus febribus sermonem facit, in hunc modum. Deiectiones (inquit) huiusmodi habent quidem, & alias, quæ graues sunt, offensas, neq; enim hippocundriorum extinguũt ar-

In de morbis vulgaribus primo. cõment. 3.

dorem, sed excitant, inquietationem'que & membrorū iactationem faciunt. Intestina etiam sedem'que exulcerant. Quibus uerbis Hip. morbum maxime urgentem depinxit, uirtutem quæ ob maleficas deiectiones multū urgere. Sed audi quæ statim scribit. Qui ergo in morbis huiusmodi, relictis sorbitionibus, mulsa potius alterius uice utetur, ijs ut multa fœliciter consequetur, sic ei nequaquam præter animi sententiam succedent multa. Sed quas nam an tenues aut crassas intellexerit, Gal. in expositione recte in hunc modum expressit, nempe in solis inquit qui colliquefaciunt morbis, uel in quibus hominum uirtus ad morbi usque iudicationem sufficere non possit, ad ptisane cremorē perueniemus. Cremorem ptisane, tenuem esse sorbitionem supradiximus. Rursus ponamus morbum et uirtutem multum urgere, crassam sorbitlonem ijs conuenientē uictum esse diximus. Quod similiter secūdum senis sententiam esse ostendimus, qui ita scribit, quibus iuquit per febres aluus liquida est, et mens turbatur, horum'q; multi floccos uelunt, nares'q; fodiunt, & parum quidem interrogatis respondent, sed ex se nihil quod compositum sit dicunt &c. Et statim ita scribit his igitur ita habentibus, si uenter liquidus fuerit, absumens'q;, et contabefaciens, sorbitiones crassiores frigidiores, exhibendas esse. Percepisti ne, ex signis morbum & uirtutem multū urgentes descripsisse, crassas'que sorbitiones tali concursu ministrasse. Sed abunde de uictus forma dictum est.

Lib. 4. de ratiōe victus.

BRVDI LVSITANI DIONYSII MEDICI FILII DE VICTV FEBRICITANTIVM AD ANGLOS.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.



VNC DE QVANTITATE *victus, tẽpeſtiuum eſt agere. Niſi enim potus, aut ſorbitionis quantitatem nouerimus, aut naturam minus iuſto exhibentes ledimus, aut morbum ſi plus miniſtrauerimus, augebimus. Victus quantitatis, à conſueiudine, & morbi conſtitutione, indicatio ſummitur. Conſuetudo eam victus quantitatem deſignat, quam ægrotans ſolidioris cibi bona ingerebat valitudine. Sunt enim qui multum voraces ſunt cum ſanitate fruuntur, ijs multum ſorbitionis, aut potus concedendum eſt, parum ijs qui parce viuunt. Hoc nos docuit Hip. in hæc verba verum inter initia, neque multam, neque craſſam admodum dare oportet, ſed quantum ob conſuetudinem, & ne multa vaſorum inanitio fiat. Morbi proinde conſtitutio ab ea quã*

Primo de cõne victus.

consuetudo indicauit quantitate detrahit. Vt si victus quantitatem laborantis naturam ferre non posse conieceris, aut ob temporis breuitatem, ad sequentem accessionem, aut ob morbi molestationem, aut quia sorbitionibus æger vsus non est, ab ea quam nobis q̃titate consuetudo indicauit, detrahemus. Subtractionis autem modus erit, vt non multa fiat vasorum inanitio, consuetudo igitur maximam designat quantitatem, quam inter initia morbi offeremus. Vt si Socrati laboranti, victus formã tenues sorbitiones esse diffinieris, tm̃ earũ offeres inter initia quãtum solidiori cibo bona vtebatur valitudine. Proinde prout morbus, & eius symptomata aucta fuerint, ita ab ea quam consuetudo indicauit quantitate detrahendum est. Vt si manifesto incremento morbi symptomata aucta fuerint penes vehementiam, & durationem, sensibiliter ab ea uictus quantitate quam primis obtulimus diebus minuemus. Nec hoc prçter senis mentem est, loco citato, vbi ita scribit. Postea si dolor quispiam, vel periculum comparuerit, sorbitionẽ dare oportet, nec multam, nec crassam &c. Rationi præterea consentaneum videtur, vt eo minus exhibeatur tempore, cũ laborans magis morbo molestatur, quam cum mediocriter habet. In initio cum ægrotantes vtcunq; moderatius habeant, tantum exhibendum, quantum consuetudo indicauerit. Apud statum vero quia morbi symptomata in maxima sunt vehementia, nihil esse exhibendum, ab eodem didicimus. Inter medio vero tempore mediocrẽ ministrabimus quantitatem, sed cum non ex æquo singulis diebus, aut alternis, nec morbus, nec eius sympto-

mata augeantur, non iusta dierum numerum à princi-pio, quantitatem minuẽdam, sed prout morbus, & symptomata increscunt. Ex ijs tamen ad exactam victus quantitatem te posse peruenire haud quaquam speres. Nam quantum à quantitate quam consuetudo indicauit, demere oporteat ob morbi & symptomatum incrementum, exacte nõ scimus. Ob id igitur prudentissimus Hip. ciborũ adiectioni intendendũ multo minus ait &c. In cuius expositione Gal. ita scribit, ad scripsit in quãtitate ipsá ad id quod minus est, procedendum esse magis, quàm ad id quod exuperat, vbi quis à iusto modo abscedit, nempe quod plus est exuperat que, noxas interdum inemendabiles facit. Verum quod minus est, facile emendatur, nempe si virtus elabi videatur cibi exiguum ministrare possumus. Verum si in uentrem absorptus fuerit cibus, quod redundat superfluit ꝙ, si alias multo magis in acutis tolere est difficile. In quibus verbis aperte ostendit cum ab exacta errandum sit quantitate, melius esse, ad id quod minus est accedere. Nam error hic minus læsionis afferet.

In 2. de rõne victus in acutis.

CAP. II.

At alicui forsan contrarium videbitur. Nam id certum est grauioribus ægrotantes offensis affici, cum propè statum erratum sit, quàm si in morborum principijs quippiam delinquatur. Vt ab Hip. & Gal. scriptum est, illo loco nẽpe, hoc autem verius efficatius que &c. Cunque inter initia minus quam iustum est offerimus, sic agentes virtutem imbecilliorẽ reddemus, ita vt apud morbi statum, omnimodam susti

2. de rõne victus in acutis.

nere inediam non possit. Quare cibum tunc temporis offerre cogemur, quod multo grauius est, quàm si inter initia vberius ægrum reficeremus. Nec putandum est fieri posse, vt minus inter initia quàm iustum est exhibentibus, virtus ad statum peruenire possit tanto viriũ robore, vt totum vigoris tempus omnimoda transire queat inedia. Nam si id possit, non minus quàm quod iustum est exhibuisti, sed quod mediocre & conueniens erat. Prçterea Hip. ipse parem cõfessus est errorem esse, postquam enim de forma victus sermonem fecisset, de quantitate agens ita scribit. Præterea inquit non minor est error, nec minus hominem lædit, si quis det, propinet'ue, minus, tardius'ue, quàm satis est, & expediat. Pars enim famis, & inediæ, plurimum in hominis natura, & valentem facere, & infirmum, ac perimere potest. Multa etiam alia mala illis non similia ex plenitudine proficiscuntur, quæ non minus etiam grauia & periculosa sunt. Vere ita res habet, grauiorem esse errorem, qui in id quod magis vrget addit. Cumque morbus ob eius vehementiam magis vrget, potiorem præbet indicationem, vnde minus lædemus minus exhibentes, magis vero plus ministrantes. Nam sic in id quod magis vrget addimus. quod si virtutis, ob eius imbecillitatem magis simus soliciti, cauendum esse errorem eũ, quo virtus imbecillior reddatur, quare tunc temporis ad id quod magis est accedimus. Dummodo quantitas pro uirtute sit. Morbis autem acutis cum ut plurimum capiantur iuuenes, aut consistentes, quorum uires ualide sunt, miniméque in longum morbus protrahatur. Ma-

In libro de prisca med.

gis vrgere morbum, quàm virtutis imbecillitatem, ratio nabile est. Quare ad id quod minus est accedemus, magis verentes, ne plus exhibentes, in id quod magis vrget addamus. Recte igitur Hip. dixit ciborum adiectioni intendendum multo minus, magis nos solicitos esse oportere, morbi acuminis, quàm uirtutis docens, præcipue in morbis ijs qui breui terminantur. In quibus sæpe numero omnino subtrahere expedit, cum æger sufficere possit donec morbus maturescat. At in libro de prisca medicina, vniuersalē faciens sermonem, vtrūq; errorem grauem esse dixit. Ac si æque vrgentes uirtutem & morbum finxisset. Neque ratio quicquam eorum quæ diximus tollit, nam errorem quem prima exhibitione committimus, minus exhibentes, non apud statum corrigimus, sed secunda, aut tertia oblatione emendamus. Quod quia ad opus apprime vtile erit, explicabimus. Socrati febre continua laboranti, sorbitionem dare decreueris, in primis modum, secundum quem bona ualitudine, cibo & potu utebatur, inquires, iusta quem, sorbitionis quātitatem diffinies. A qua postea iusta morbi incrementum detrahes. Talemq; offeres primū quātitatem, ut cōmode apparare possit, citra additionē uehemētię, aut durationis accessionis febrilis. quod si ab eo cibo quem primo exhibuisti nullum horum sequatur, ægrotans que plus ferre posset, aut voluisset, parum addes sequenti oblatione, quia quod minus est exhibuisti. Et ita id quod minus est, facile emendatur. Quod si plus exhiberemus quàm ægrotantis natura citra læsionem ferre pos-

Lib. 2. de victu acutorum.

ſet, noxam emendari ita facile non eſt. Errorem quidẽ hunc, hæc ſequuntur, incommoda, nempe grauitas hippocundriorum, frequentia anhelitus, febriles incenſiones, ſitis, capitis'dolores, &c. Hæc omnia in morbis acutis eueniunt ex immodica cibi quantitate, & ex intempeſtiua eius oblatione, ut ab Hip. ſcriptum eſt in libris de ratione victus. Nulla ergo alia melior menſura dari poteſt, qua uictus quantitatem diffiniamus, quàm ſenſus ægrotantis, qui magis & minus indicat citra errorem. Prima autem oblatione, ut ab ea iuditium capiamus im poſterum, minus quàm cõſuetudo indicat offerri melius eſſe diximus. Nec hoc eſt præter ſenis mentem, qui in eodem de priſca medicina libro, ita ait. Pręterea, uaria multo magis eſt, ac maioris diligẽtiæ eget hæc res, menſurã enim cuiuſdam animo conſiderare oportet. Menſuram dico non quę pondere, numero ne ullo conſtet, quã ſi quis reſpiciat quod expediat, exactum'ue ſit, poſſit cognoſcere. Nihil. n. aliud inuenires q̃ corporis ſenſum. Quàm ob rẽ tam exacte rem nouiſſe uti parũ utrinq; erret quis difficillimũ eſt. Tam et ſi hunc ego medicum ualde laudo, qui paululũ in ijs rebus ab erret peccet'ue. Quod autem exactum & uero proximum eſt, raro admodum ſcire & videre eſt. Siquidem plurimi medici in ijs mihi ſimiles eſſe videntur, prauis nauiumrectoribus. Nam cum illi in tranquillitate regendo peccant, errant, ue eorum error non patet. Cum autem eos magnus ventus, atque aduerſa tempeſtas, deprehẽdit, liquido iam & aperte cunctis hominibus qui in ea ſunt patet, per eorum ignorantiam & errorem peccatum ne

nauem nisi succurratur perditum iri. Sic mali, & plurimi medici, cum homines qui nihil graue & periculosum habent curãtur, si quis in ijs maxime peccet, erret ue, nihil admodum graue & periculosum admittat. Nam multo plura & sępius leuiuscula hominibus mala fiũt, q̃ grauia & periculosa. In quibus si peccent, errent' ue, rudibus & ignaris non patet. Cum autem magnum & vehementem fallacem' que morbum nanciscuntur, tunc eorum error, & peccatum, ars' que, cunctis patet.

CAP. III.

SEd forsan quis obijciet, ex ijs quæ dicta sunt appa ret, vna victus forma, nutriendos esse ægrotantes, à morbi initio ad statum vsq; incedendo. Quantitatem autem secundum morbi incrementum mutandã. Inter initia, iusta consuetudinem, victus quantitatem, mẽsurandam, increscente vero sensibiliter morbo, minuendam. At videtur magis ex vsu fore ægrotantibus, si semper quantitatem seruemus quam consuetudo indicat, formam vero mutemus. Vt si inter initia morbi, crassa sorbitione ægrotantem alere nobis visum fuerit, increscente morbo tenuem offeramus, ea qua vsus est quantitate. Naturam siquidem semper gaudere con-

8. de methodo medendi. suetis, asseruit Gal. ex auctoritate Hipp. Præterea hoc idem in Aphorismis sentire videtur, cũ ait ἔμπροσθεν δὲ ἠπιωτέρως διαιτᾶν ὡς ἂν ἐξαρκέσει ὁ νοσέων hoc est, ante vero vberius reficiendum, vt sufficiat ægrotans, per illud verbum ἠπιωτέρως διαιτᾶν non quan-

In 1. de victu acutorum titatem, sed victus formam intellexit. Præterea in loco quem citasti, non magis quantitatem mutandam esse

docet, quàm formam, cum ait. Neque multam, neque crassam dare oportet. Sicut enim multitudo ad quantitatem attinet, sic crassities, & tenuitas, formam victus respiciunt. Verum vbi vt quicquam afferas, deest recta ratio, dicta insequere antiquissimi viri Hip. qui multorum sapientum vnus instar est. A quo didicimus victus formam, à morbi initio ad statum non permutandam esse. Sed quo in loco forsan quæres. Ex libro de victu acutorum secundo. Cum de permutationibus agit colliges. Apertius tamen à Gal. duobus in locis nempe in expositione illius conijcere autem oportet robur & morbi &c. Vbi ita scribit, nempe summa quã adstruit est, non permutandam esse victus speciem, priusquam signa coctionis manifesta sint. Id autem fiet, si quot diebus ad vigorem morbus venturus sit, præcognoueris. In quibus verbis manifestæ ostendit à morbi initio ad status introitum vna victus forma nutriendos esse ægrotantes. Alia vero, toto eo tempore quo durat status ad perfectam morbi solutionem. Demum alia per totum conualescentiæ tempus ad sanitatis habitum. In singulis harum quattuor conditionũ, non faciendas esse insignes victuũ permutationes de vna victus forma in aliam, priusquam ad aliam conditionem peruentum sit. Idem præterea in eodem secundo, ita scribit in expositione illius interdum aũt & cruda &c. Vniuersa hæc cõtingere ijs ait, qui perperam cibati sunt à medicis, quicunque primis diebus exoluentes laborãtes, sanè circa tertium, vel quartum, vel quintum, vel sextum, repente ad edulia permutauerunt, nõdum morbi

vigore peracto, quasi peracto, conuenienter eos permutasse victum dicat. Quod igitur dicebat quod permutare quidem oportet uictum sanorum in morbis, non quidem vt forte euenit illud agendum, iam puto manifestum ex dictis esse. Existente enim constitutione corporis vna cum sanitas adest. Altera à morbi principio vsque ad statum, alia ad perfectam solutionem, & post hanc alia quæ conualescentię tempus ad vsque sanitatis habitum occupat. In nulla harum quattuor constitutionum facere oportet magnas victus mutationes, antequam in aliam constitutionis speciem peruentum sit. Qui igitur ægros morborum exordijs in omni ciborum abstinentia seruant, si ad vigorem vsque talem victus speciem seruare possent, nemo eos culpauerit. Quod si facere non possunt &c. Idem dixit in eodē in expositione illius de mutatione quæ in hæc vel illa fit, plurima sum locutus &c. Rursus sermonem totum in summam vnam coegit Hipp. In ijs qui similiter habent victum haudquaquam permutare percipiens, verum in ijs qui ex sanitate ad morbum transeunt, permutare quidem, non tamen vt cæteri permutant, deinde compendio quodam victus scopum in acutis morbis declarauit. Siquidem morbus maturuerit transeundum ad cremorem ptisane præcipit. Si adhuc crudus fuerit nō transeundū, nisi ob aliquod symptoma. Hęc sunt loca ex quibus colligo in constitutione vnà, prout est à morbi initio, ad statum vsque, non permutandam esse victus speciem. Quod si iam dictis illud Hip. adiūgas, non igitur intempestiuæ neque fortes uasorum inanitio

In 2. de vi-ctu acuto℞.

nes moliri, neque cum morbi vigent, cibum dare, neque repente huc, vel illuc, in toto negocio quicquam mutare licet, manifestum erit quod si eadem victus forma, & eadem quantitate, per morbi initium & incrementum vteremur, apud statum vero cibum omnino prohiberemus, ægrotantes ex repentina victusmutatione læderemus. Item rationi consonum est, vt cum paroxismorum incrementa, & longiores durationes minus temporis quiescere laborantes permittunt, magis tenui victu nutriendos fore. Cunque victus species secundum antiquorum mentem mutanda non sit, durante eadem morbi constitutione, reliquum est vt quantitates imminuamus, prout morbus incrementum accepit. Id etiam ab Hip. licet colligere in primo de victu acutorũ, nam stante eadem morbi constitutione, cum alimoniam addere intendit, & virtutem roborare, victus formam seruat immutatam, quantitatem augendam præcipit. Vt in eo, at si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur talia sint qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem vt summatim dicam augere conuenit. Et infra statim, & quanto maior fuerit expurgatio, tanto magis ad iudicationem usque dare oportet. Ecõtrario igitur à morbi initio per totum incrementum ad statum, cum minus nutrire ęgrotantem intendamus, victus spetie manente, quantitatem ĩminuemus, prout morbus manifesta habuerit incremẽta. Minusque naturã huiusmodi lædi posse mutatione, quàm si formã victus immutaremus. Consuetudo enim magis formam victus & eius qualitatem respicit, quàm quantitatem. Et ob id difficilius fert natura, si assuetam

victus formam, & qualitatem immutes, si vero ab assueta detrahas quantitate, non adeo. Ob id stante eadem morbi constitutione, vt minor fiat mutatio, quãtitas mutanda est, forma autem victus seruanda. Nec prætereundum esse, ætatem, regionem, coindicatrices quãtitatis esse, præterea numeri multiplicationis prohibitio. Hæc enim maiorem indicant quantitatem, vt si puero multoties ædere assueto, si propter morbum toties ministrare cibum non possimus, quod à numero deest, id
1. Aphoꝝ. quantitate ipsa supplebimus. Vt scite à Gal. scriptum est. In expõne illius quibus semel, aut bis &c. Vbi ita scribit, si vero accessiones non permiserint, neq; alimenti offerendi occasiones fuerint multæ. Raro plura dabimus. Vnde quidam male hunc vertit locum, in hunc modum neque multi alimenti offerendi occasiones fuerint. Hiems multum exhibendum esse indicat. Consimiliter & regio frigida. Sed hæc ad imminuendam victus quãtitatem, quam consuetudo indicat, vires habent. Minime ad augendã. Ab ijs ergo victus quãtitas diffinienda est.

CAP. IIII.

SEd easdem numerus habet considerationes, nam à consuetudine in primis, & à morbi dispositione oblationis numerũ scito sumẽdum esse. Vt scriptũ
1. de rõne victus. est ab Hip. in hæc verba, qui enim bis cibari sunt soliti, bis pt. sanam dare oportet, quibus semel, semel quidem primo die detur &c. Ab hoc numero quem consuetudo indicat, quæ à morbo summitur indicatio detrahit. Nam principia, & incrementa, & status, accessionum, aliquando numerum oblationis consuetum serua-

re prohibent. Virtus autem corporis plerunque super addit, cum imbecilles sunt, aut cum eum ministramus cibum, qui parum nutriat, & volumus vt roboretur natura, numerum tunc cibationis addimus, si per morbũ liceat. Vt si febre continua laboret is qui multo cibo bona vtebatur valitudine, visum' que nobis sit huic ptisanam exhibere ob aliquas causas, cum vltra eam quantitatem quam consuetudo præstitit exhibere non liceat vice vna numerum oblationis addere studebimus, ob id quod hic multo indiget nutrimento, parum' que alimenti ptisana suppeditat. Hoc videtur intellexisse Hippo. eodem primo libro, in hæc verba. Quibus semel, semel quidem primo die detur, deinde sensim, paulatim, si fieri potest, ijs quoque detur, si quid putas adijciendum. Infirmum igitur toties nutriemus quoties consuetudo indicauerit, nisi aut facultas crebrius, aut morbus rarius indicauerint. Consuetudo igitur primam quantitatem siue maximam, & primum numerum, penes quem aliquãdo rarius, quandoque crebrius, ægrotantibus cibum ministrare dicimus, proponit. Huic aut virtus addit, aut morbus minuit, scite ergo Hippoc. in Aphorismis dixit, quibus semel, aut bis, aut plura, dandum est aliquid tempori, ætati, & consuetudini, neque igitur quantitas victus, nec oblationis numerus, inueniri posset si à consuetudine indicationem tolas.

CAP. V.

QValitatem cibi multa indicãt, nempe morbus, naturę ægrotantis, ætas, consuetudo, regio, anni tempus, & cœli status, in morbi appellatio

ne, morbum & eius causam intellige. Natura ægrotantis, ætas, & consuetudo similia semper indicant. Cœli status, regio, & anni tempus, si tẽperata sint, similia, sin intẽperata, contraria indicant, qualitate victũ. Vt si calida imoderate sint, victum frigidũ exposcunt. Quod si temperata fuerint, victum medium indicãt. Non sic profectò laborantis temperatura, ætas, & consuetudo, semper enim hæc similia siue commoderata sint, aut non, indicant. Cunque ea iam dicta in vnum consentiunt cum morbo, eum esse exhibendum victum, qui qualitate insigni morbo aduersetur. Vt pote omnibus indicationibus id dictantibus. Cunque contraria indicent, à potioribus sumendam esse indicationem qualitatis victus. Vt si morbus frigidum & humidum indicet, cætera vero omnia calidum & siccum, ambiguitas, vtique pugnáque iudicationum inter se oritur. Quo casu magnopere opus est, tum numerum indicationum tum earum magnitudinem simul conferas. Quippe quæ à febre sumitur, ea reliquis quando omnes contrarium faciendum perscribunt, numero quidem inferior est, magnitudine tamen quæ ex dignitate potestatéue spectatur, vtiq; superior est. Potissimum, si lõge à natura recessit. Prout quidem febris est, plus cæteris omnibus solicitos nos habet. Et quia prænterquã quod febris est, etiam magnitudo illi notabilis accessit, iccirco contrarias indicationes inducit atque obumbrat. Sin febris parua fuerit, fas est reliquas omnes vna coniunctas cum ea conferri atque expendi. Ac siquidem pares videntur neque, febris indicatio præferetur, sic vt

humectandum

humectandum & refrigerandum ſit, neque etiam reliquorum, ſic vt calefaciendum & ſiccandum ſit. Immo media victus ratio vbi ita ſe corpus habet eligenda erit. Sin altera indicatio exuperet, tantum receſſiſſe à temperato & medio victu par eſt, quantum ea quæ pollent ſua contraria ſuperant. Ergo exercitatum & natura prudentem eſſe medicum conueniet, quo cuiuſque indicationis poteſtate diligẽter conſiderata, omnibusque inter ſe collatis vnam idonei victus ſummam quæ laboranti ſit commoda comparet. Hactenus Gal. cum de qualitate victus inueſtiganda ſermonem facit. Sed non deerit qui in hunc modum dictis Galeni opponat, haudquaquam ſperans hac methodo qualitatis victus ſcientiã ſe inuenire poſſe. Ponamúsque vt ipſe propoſuit omnia indicantia, victum ſuadere calidum & ſiccum. Febris vero leuiuſcula tertiana ſit, victũ qualitate frigidum & humidum indicans. Coniungantur vt ille ait omnes indicationes & cum febre eas conferamus, & expendamus, an pares ſint morbo aut impares. Vnde nam hoc mihi notum erit rogabit quis. Nam nec id ſe ſcire ait, nec vnde ſciat. Multo adhuc minus, ſi alterũ exuperet, quantum vtique alterum excedat. Præterea cũ indicationes regionis, temporis anni, cœli ſtatus, ad inuicem diſſentiunt, vtrum eorum ſuperare debeat. Propium inſuper ægrotantis temperamentum, ſi forte conſuetudinis obuiauerit, quomodo iis ſimiles qualitate victus miniſtrare poſſit. Oportuiſſet methodum tradere qua vires horum ſingulorum noſci poſſent. Nos igitur pro virili tentabimus in commodum ſtudioſorum, viam

8. de methodo medẽdi.

ostendere, qua facile qualitatem victus inuenire possimus. Ab ijs quæ ab Hip. & Gal. didicimus initium hinc sumentes, consuetudinis indicationem potestate digniorem esse proprij temperamenti & ætatis. Nam si quispiã sit siccus temperamento, ætate consistens, humido assuetus victu. Siccum ei dabis, ratione proprij temperamenti, & ætatis. An consuetudinẽ magis seruabis. Quod si hæsitas Hip. roga, qui ita scribit, cibos quibus vti cõsueuerunt, facile ferunt, tam & si natura haud quaquam boni fuerint, similiter & potus. Cibos vero quibus vti non consueuerunt, & si mali non fuerint moleste ferũt, consimili modo & potus. In quorum expositione Gal. ita ait, consuetudo maxime potest, repentináque ab ea digressio, corpa nõ parũ offendit. Ipse idem loco supra citato ita scribit, à consuetudine inquit semp est indicatio similium, quo ad scilicet ægrotant homines, ab ætate, natura, regione, anni tempore, statu cœli, vbi temperata sunt, similium semper præsidiorum est indicatio, siue valeant homines siue ægrotant. Contra ab intemperatis, anni tempore, statu cœli, & regione, contrariorum est indicatio. Cæterum ab ætate, natura, subintellige intemperatis non absolute, sed cum consuetudine. Audisti Gal. dicentem, naturam ægrotantis & ætatem cum intemperata sunt nihil absolute indicare, sed cum cõsuetudine. Duo igitur hæc, ægrotantis natura, & ætas, cum intemperata sunt ad vnius consuetudinis indicationem reducimus. Præterea regio, & anni tempus, ad cœli statum si res exactè consideretur, reducibilia sunt. Nam nec regio, nec anni tempus, quicquam agent, nisi per im-

In 2. de rõne victus

mutationem aëris nos cõtinentis dispositionis, aut si ma uis temperiei, quam cœli statum medici vocant. Quod si ad huius assertionem Hip. aut Gal. testimonium optas prout sunt plures studiosorum nostra tempestate, apud quos paruum habent rationes locum, plurimum autoritates, tantum iuuat alieno Marte ditescere. Gal. igitur in libro nono de methodo medendi ita scribit, voco inquit cœli statum ipsam ambientis nos aëris temperiem, sub qua & anni tempus, & regio comprehenduntur, quando horum quoque vtrunque ex ambientis temperie indicationem mutuatur. Ex dictis manifestum est, omnes indicationes qualitatis victus, ad tres reduci posse. Nempe morbum, consuetudinem, & aëris tẽperiem.

CAP. VI.

CAeterum cum morbus in affectum, et in eius causam, deuiserimus, inquirẽdum est, an victus qualitas vtrunque nempe affectum & causam respicere debeat an solum eorum alterum, & sunt in libris Hip. non nulla loca utrunque asscrentia. Nam affectũ, Aphorismus ille humidę dietæ &c. ostendit. quod' ꝙ & causam respicere debeat, ipse idẽ in libro primo de ratione victus, de ptisana sermonem faciens ostendit. Ita scribens si quid ablui eget probe abluit, non astringit, hæc omnia causam respicere manifestum est. Ratio tamen aliud dictat, nam cum duo sint quæ in medici cõsideratione subeãt, nẽpe corpus febricitãs, & humores putridi. Ita duo sunt instrumenta, illorũ gratia, quorũ altero corpus seruamus et altero putridos humores extra pellimus. Victus q̃dẽ corpus respicit, & id q̃d ab eo

effluxum est, tum si ratione morbi corpus intẽperatum est, id cõtrarijs emendat qualitatibus, paulatim id agẽs. Respicere humores medicaminum est, vt crassos extenuent, lentos detergeant, putridos expellant. Victus igitur munus est id quod à patiente particula effluxum est instaurare, & id quod alteratum est reducere. Hæc solum euenire corporis partibus simplicibus possunt. Verum ad illud quod dixit Hip. si quid ablui eget, probe abluit, ipse statim illo verbo si quid ablui eget, respondet, id tanquam non necessarium euenire innuens, qđ Gal. asserit cũ ait, si quid ablui egeat, quasi non oĩbus acutis morbis probe abluente edulio vtamur. Nempe cætera omnia quæ de ptisana dicuntur bona, morbis omnino prosunt acutis. Sed abluendi bonitas quibus vẽtrem subduci nolumus, vbi cibus in via moratur est idonea. Probe igitur abluere febrili affectioni neque tanquam contrarium, neque tanquam familiare auxilium vnum vtile existit, sed bene tanquam symptomatis alicuius emendatorium correctorium' que. Mentem adhibe ad illud verbum febrili affectioni, ac si velit, victum, febrilem affectionem, & non causam, respicere oportere. Quod si accidat vt victus vtrique aduersetur, & affectui, & causæ, ob id reyciendus non est. Cũ ergo victus id solum quod à corpore exolutum est reponere, aut id quod alteratum à morbo est, reducere debeat, manifestum est, cibis astringentibus vtendum non esse, nisi, cum morbus ad eam corpus alterarit dispositionem, à qua aut ventris fluxus, aut vteri, aut alterius momentaneę partis, aut symptomatici sudores robur,

virtutis exoluentes, aut animi deliquium, proueniant. Alioquin non est quod corpus moderate habens in raritate & densitate cibo astringente obstruas. Proinde cum aëris nos continentis temperies nihil indicet nisi prout nostrum afficit corpus, tantum'que indicationis sortiatur, quātum corpus ab illo mutatur, manifestum etiā est, indicationem continentis nos aëris ab ea sumendam esse immutatione qua nostra afficit corpora. Consimiliter de morbosa sentiendū est affectione, nā tantum indicabit quantū corpus à naturali mutauerit symmetria, licet febris in sua causa magna esse videatur. Parumq; si corpus à proprio amouerit temperamento, parū indicabit iusta recessus magnitudinem. Duo igitur indicantia, nempe aëris nos continentis temperies, & ægritudinalis affectio, ad corpus reducuntur affectum. Neque vlli mirum id videri debet, quod ambientis indicationē ad præsentem corporis affectum reducamus. Nam iure id mirum videri non debet, quod rationi peruium est. Pone affectum & ambientem vtrunque calidum. & siccum. Corpus vtiq; affectum tale est, nō solum propter morbosam affectionem, sed ob ambientis calidi & sicci operationem. Vtriusque igitur operatio affectum corporis præsentem produxere. At pone ambientem frigidum & humidum affectioni contrarium, corpus profectò affectum, non tale est ob solam morbosam affectionem, ob quam magis tale esset, sed ob ambientis etiam qualitatem affectioni contrariam, eius vim refrangentem. Neque quæ dicta sunt præter mentē Gal. esse putes. Ille enim in libris de methodo medendi am-

bientis indicatio ad præſentem affectum quem morbum nominat reducit. Cum ex tribus indicantibus quorum tertium ambiens erat, duo collegit indicantia. Ad duas igitur indicationes in vniuerſum omnes quæ victus qualitatem indicant reduximus. Nempe corpus affectum et conſuetudo. Ab ijs igitur qualitas victus quærenda eſt. Verum cum hæc conſideratio medicæ artis parti, quæ morbos curat ſubiaceat, neceſſum eſt receſſus corporis à naturali temperamento ſcire, vt contrarium applicantes qualitate victum, ad ſymmetriã particulam reducamus. Receſſum vero niſi naturale nouerimus temperamentum, alia ſciri via non poteſt. Quapropter alia præter duas indicatione naturali nempe temperie opus eſt. Quibus autem notis id inueniri poſſit medico conſiderandum eſt. Proinde cum omnibus in vnum collatis temperamentorum ſignis coniectnra & non ſciẽtia aſſequamur, ab vna conſuetudine id certius ſciri poſſe cum Gal. aſſerimus. Qui ita ſcribit, nos certe quibus cura fuit, inquirendi illud inuenimus quod per plures cognitu difficiles notas. Cuiuſque membri, temperamentum coniectura potius, quam ſcientia inuenitur. Si igitur notis multis & paruis aliqua certior apparuerit, nõne abiectis illis, hanc pro omnibus arripiemus, nemo id arbitror qui mentis compos eſt, negabit. Atqui ſi omnes temperamentorum notas in vnũ colligas, hæc longiſſime abſunt, vt parẽ ei quã conſuetudo præſtat fidẽ faciant.

CAP. VII.

VErum quia in cognoſcendo ægrotãtis à propio temperamento receſſum. Duplex datur conſi-

deratio. Nempe generatim scire versus quam qualitatem corpus alteratum sit, secundo quantitatem illius declinationis, hanc non valde speculationi huic de ratione victus necessariam. Nam particulę intemperiem semel à suo contrario euertere in ratione ciborum nõ est, sed medicaminum. Sat enim est si cibus paulatim bono temporis interuallo id agat, id autem contrario remisso effici potest. Quam ob rem, & si corpus à naturali abscesserit symmetria, per duos gradus versus calorẽ, necessarium non est, nec vt opinor commodum frigidum, huic totidem gradibus victum offerre. Id enim cibi naturam ægrederetur, hæc est vt à naturali calido patiatur, parum autem in id agat. Vt cibo medicinali vsu venit. Quapropter satis sit si frigidum in primo victum offeramus. Hic enim cibi munus ad implebit, facultatẽ vero medicaminis, tẽporis interuallo crebriori vsu præstabit. Vnde fit, vt cum cibis ea miscere quæ valentibus sint prædicta qualitatibus cauendum sit. Id solum ergo scire conuenit ad quod extremum alteratum sit corpus. An versus calidum & siccum, an frigidũ et humidum, & an parum, aut multũ à naturali symmetria recesserit, quod haud difficulter inuenies, si considerationem de consuetudine habeas. In ijs quæ vsus est bona valitudine, citra noxam & ex ijs quibus vsus videbatur. Ex ijs enim temperamentum corporis, certius alia quacũq; nota cognosces. Vt prudẽtissime Gal. citato libro, dixit. Videtur, inquit, nõ sicut alia quędam exiguã, leuemq;, sed planè maximam, maximéque principalem potestatẽ habere consuetudinem, vt quæ singulorum corporum

naturam ostendat. Et statim inquit, sanè ipsi via ratio-néque ab ea procedentes, fatemur nos partiũ affectum inueuire. Deinde ex illo rursus ad faciendorum indicationem venire. In hoc'que pars hæc quæ de victus qualitate agit, ab ea medicæ artis parte, quæ singularum, aut simplicium partium morbos curat differt, quod hęc quantitatem recessus à naturali temperie nosse desiderat, vt æquali contraria gradu applicet remedia. Illa vero solum quærit versus quam qualitatem intemperatum sit corpus, & an multum, an parum recesserit.

CAP. VIII.

A Tribus igitur qualitas victus summitur, à naturali temperamento, & ab affectione, & à consuetudine, cunque hæc in vnum consentiant, quod simul indicauerint statim exhibendum. At contraria indicare solum affectum & consuetudinem posse. Nam naturale temperamentum semper cum affectu in indicatione qualitatis victus consentit. Nam affectus indicat sui ablationem per quam ad temperamentum pristinum ægrotans reducitur. Huic indicationi naturalis ægrotantis temperies semper consentit. Duo sunt igitur quæ contraria indicare possunt, nempe affectus & consuetudo. Vt si affectus calidus & siccus humidum exposcat victum, consuetudo vero prohibeat (nam calidis & siccis assuetus erat cibis) in hac indicationis contrarietate inquirendum est, an calidis & siccis assuetus esset, ob id quod male ex frigidorum vsu, aut quia melius calidis & siccis quàm à frigidis & humidis haberet, aut à frigidis & humidis nihil incómodi perci-

piens. Si primum contingat, eo esse vtendum victu, qui temperatus sit, aut id mixtis adinuicem contrariarum qualitatum alimentis conficiendum. Si quidem dum sanus erat calidis & siccis opus sibi erat cibarijs, vt inculpate viueret, febre correptum, calidum & siccum iam effectum, frigidis & humidis ledes. Aut nũc aut cũ febris abierit. Nam id præstitit affectus quod calidis & siccis cibarijs quærebat. Quapropter si tunc iustæ ea quæ calfaciebant, & exiccabant amplectebatur, non esse cur nũc caliditatem & siccitatem affectus, frigidis & humidis euertas. Nisi multum exuperent. quod si contingat victu medio vtendum est quo excessus securissime refranguntur. Quod si secundum eueniat, dandum essè aliquid consuetudini, minus tamen quàm in prædicto. Eo vtentes victu qui refrigerare & humectare moderate valeat. Liberalius id agere licet si tertium contingat, parum consuetudinem illam facientes. Ad tria igitur omnes reduximus indicationes, nempe regionem, tempus anni non agere nisi status cœli interuentu. Hic autem nihil indicat ex se, sed inquantum corpus afficit. In vno igitur affectu corporis, regionis, anni temporis, status cœli, & morbi, temperamenti ægrotantis, ætatis'que, vires siue actiones, potestate sunt, & id quod tandem ab eorum actionibus, & reactionibus, & alterius, supra alterum exuperantia superest, in vno affecto corpore conspicitur. Non est igitur quod medicus in æstimandis horum cum contraria indicant viribus, mentem inaniter agitet. Id enim quod ab exactissima consideratione elici posset, corpus affe-

ctum indicat. Diximusque ætatem ad proprium reduci temperamentum, cuius ope scimus an parum, aut multum, à naturali recesserit corpus symmetria. Ad opus præstat id commodi, vt sciamus quando maxime finem alteranti victui imponemus. Cæterum in indicatione qualitatis victus cum affectu consentit. Nam si quispiam sit calidus natura, calidiorque ob ægritudinem euaserit, affectus indicat, vt id caliditatis quod super excreuit abscindatur. Idem proprium indicat temperamentum. Et non calidum potestate victum, ob id quod ante natura calidus erat. Sola igitur illius gratia, corporis temperatura à medico inuestigãda est, vt an parũ an multum, à naturali recesserit corpus symmetria, & quando maxime alteranti victui finem imponemus sciamus. Sola igitur consuetudo est quę aliquando dissentit affectui. Tuncque diuisionem illam quam supra triplicem fecimus inquirere ab ægrotante, & ab ijs qui hoĩem multo ante nouerunt oportet. At cum omnes tres in vnum consentiunt, cũ humidus natura, & humido victui assuetus, febre corripiatur, audacter frigido & humido victu vtemur. Nonne hæc sunt senis verba humidi victus omnibus febricitantibus conueniunt, maxime pueris, & alijs sic assuetis refici. Sunt tamen febres quæ non humidum, sed siccum indicant victum, de quibus infra nobis sermo erit vbi mentem Hip. in dicto Apho. ostendemus. Nunc ad reliqua properemus.

CAP. IX.

A Duobus sumitur quando exhibere cibum debeamus à facultate & à morbo non prohibẽ

te. Prohibet ab initijs paroxismorum, aut exacerbationum ad manifestam inclinationem. Iis enim temporibus natiuo calore ad thoracem collecto, vt morbi causam vincat, cibus dandus non est, quanquam corpus iã iam indigere videatur, cum Gal. asserimus primo de ratione victus in acutis. Opportunum igitur exhibendi victus tẽpus fuerit, cum caliditas ad pedes descenderit, viscera iam deserens, vt ab Hip. scriptum est, verum si facultas nimis langueat, ita vt imbecillitas eius maxime vrgeat indiscrete quolibet tẽpore nutriemus ægrum. Et in statu totius morbi vt scripsit Gal. in Apho. Cunque in declinatione accessionis dare expedit, non ea statim victũ forma, quam ægrotanti definieris exhibebis, sed magis tenuem, vt si sorbitionibus ægrotantem alere decreueris, satis sit si potiunculam, inchoante inclinatione, ministraueris. Postmodum aut febre cessante, aut omnino remittente, sorbitionem exhibeto. quem modum vidi à peritis medicis obseruari in Italia. Quibus enim ægrotantibus sorbitionem ex pane & iure pulli quã panatellam vocant, ministrare decernunt, hos primo in inclinatione febris tenui pulli iure nutriunt. Ac postmodum cessante febre, aut manifestæ remittẽte, sorbitionem exhibẽt. Hoc vt arbitror sensit Hip. cum in fine primi de ratione victus immediate dixisset cum calor ad pedes descẽderit, tunc dare expedit, subiungit statim. Vtere primum & maxime cremore, postea ptisana, secundum perscriptas coniecturas exacte speculatus. Quæ quidem verba, & si Gal. ad victum vniuersalem referat, de particulari cibatione eadem posse recte intelligi asserimus. Vt talem

In fine primi de rõne victus idem pixit in. 4. eiusdem

faciant sensum, quod si sorbitionibus ęgrotantem nutrire debeamus, melius esse inclinante febre à tenui sorbitione, vt cremore ptisanæ incipere. Ne ab vnius diei inedia ad crassiusculum cibum mutatione subita, ledatur ægrotantis natura. Quod autem scribit secundum perscriptas coniecturas, hunc sensum habet. Quibuscunque coniectura habita de morbi constitutione & ægrotantis robore, dandam fore sorbitionem decreueris, hanc non in initijs, neque incrementis accessionum exhibeto, sed in declinatione. In qua commodius ages si primum cremore vsus fueris, deinde ptisana. Cęterum in continẽtibus febribus quæ vnicam à principio ad finem accessionem habent, nutriendi idoneum tempus, à consuetudine, & à facile toleratione accipitur. Vt si in aurora facilius æger malum tolerat, eodem'que tempore cibari solitus est, cõmodissime ea hora cibum ægrotanti ministrabimus. Hoc discimus à Gal. vndecimo de methodo in hæc verba. Tempus vero nutriendi quod quidem ad reliquas spectat febres quæ ex putredine oriũtur, in progressu sermonis dicemus. Quæ vero vnicam à principio suo ad finem habent accessionem (de his nanque præsens sermo est) in his facilis toleratio, & consuetudo, spectari debebunt. Quando cibus illis eo tempore est offerendus quo facilius quàm in cæteris morbum tolerant. Eóque potissimum diei tempore quo prius cibari sunt sueti. Etenim facillime cibum ferent si ex his considerationibus assumẽt. Hucusque Gal. Cæterum scire oportet quod aliquando consuetudo & facilis toleratio, in indicatione temporis dissentiunt, vt si

is qui ægrotat eorum ſit, qui ſemel cibum ſolent capere occumbente ſole. Morbum vero facilè toleret æger initio diei. Pugna inter indicantia oritur, quo caſu indicatio à facili toleratione præualet ei, quæ à conſuetudine. Nec præter rationem, nam ſi bis aut ter cibum bona valitudine capere aſſueto ægrotanti, propter febriles acceſſiones, ſemel miniſtramus, ob timorem ne cibus intempeſtiue exhibitus aut in vehemẽtiam febrilem, aut in eius addat duratione͂, vt in ſuperioribus oſtendimus, multo cauſatius in ſynochis quæ acutiores multo ſunt febribus prohibendus eſt, ea hora cibus qua plus ledere poteſt, eáque maxime miniſtrandus, cum ab eo corporis natura capiat commodius vſum, minus'que prõpte in morbi cauſam tranſeat. Quod ſi facilior toleratio manifeſta non detur, à ſola conſuetudine incõtinentibus febribus tempus nutriendi idoneum ſumendum eſt. Porrò aptiſſimum in febribus quæ intermittunt & repetũt, tempus eſt, cum vti dictum eſt, exhalare iam cœperit febrilis calor, huius quoque opportuno tempore ex duplici coniectato reſpectu, nempe ſummo præcedentis acceſſionis vigore, & futuræ principio. Ad hæc nam ſpectantes, operam dabimus, vt quàm longiſſime ab vtroque nutriamus. Ergo ſi ſpatium quod inter ſummum prioris acceſſionis vigorem, & ſequentis principium interuenit, ſatis ſit amplum, facile eſt idoneum tempus inuenire, ſin exiguum id fuerit, alterum facias neceſſe eſt, vt aut ægrum admodum adhuc calentem nutrias aut ſequentis acceſſionis inuaſione iam iam affutura. At ſummi vigoris & acceſſionis principij morem ſic conſideres

censeo. In summo vigore notabis an citra magnitudinẽ febrilis caloris siccus sit & squalens, an citra siccitatem vrens. Priorem nanque humectante victu madefacere quàm primum oportet. In secundo dum plurimum caloris se remittat, manere. In principij vero accessionis more æstimabis, an corporis extrema perfrigeret, & magnam sanguinis reuocationem ad interiora corporis faciat, an omnino corpus non præmat. Quippe secundum hoc, seu facile cõtemnes. In priore distinguas oportet. Nam si absque visceris phlegmone, aut succorum redundantia, motus ad interiora in accessionibus pollet, nihil offendes paulo ante cibans. Sin vel phlegmone, vel redundantia subsit, cauenda est ante accessionem cibatio, seu res muxime noxia. Hæc quidem Gal. scripsit de tempore quãdo opportune in febribus æger cibetur cũ exiguum fuerit tempus quod inter summum prioris accessionis vigorem, & sequentis principium interuenit. Vt si ponamus à summo vigore ad sequentem accesionem trium horarum spatium esse, an prima cibare febricitantem hora, commodius sit quàm secunda, hinc maxime disces. Cibum ideo febricitantibus exhibemus vt eo virtutem seruemus, cauẽtes quo ad fieri possit ne in vehementiam morbi aut eius durationem addamus. Virtus ab eo cibo vsum capit quẽ coquit & apparat. Melius autem apparabit cum à febrili labore quietior fuerit laborantis natura. Verum facultas naturalis quę cibum coquit, quietior est in paroxismi inclinatione, quàm in initio accessionis, vt ab ipso Gal. secũdo Apho. scriptum est in hęc verba. In vigore eo quod iam coquit

ſuperfluum euacuare. Tum propter alia & quia animalis facultas omnino in ſtatu laborat, licet maxime ſecundum illud tempus vitalis & naturalis fortes perſiſtant. Ab initio igitur paroxiſmi naturalis facultas quę concoquit maxime ad ſtatum vſque fatigatur, ab ſtatu vero inclinationem verſus, fortis vt ille ait permanet. Quare hac ratione commodius eſt inchoante inclinatione cibũ exhibere q̃ propè acceſſionem. His adde cibum ſi quando eum in ventriculo ſequens acceſſio offendat corrumpi vt in pluribus certum eſſe. Paucis vero omnino quibus inchoante inclinatione exhibetur illud accidere. Quare ſiue in iocineris phlegmone aut ventriculi, aut pulmonis, ſiue ephimera, aut putrida febre quauis natura, & habitu, ſalubrius eſſe parum poſt vigorẽ cibare quàm modicum ante ſequentem acceſſionẽ. Hoc in ſingulis morbis naturis & habitibus oſtẽdere haud magnum negocium eſt. Verum id ſtudioſo lectori demittere commodius erit. Sat nobis eſt, qui Hip. dogmata inſequimur, eius ſententię ſtare in primo de ratione victus vbi ſcripſit. Nam ſi pedes frigidi fuerint non à ſorbitione modo verum quoque & maxime à potu temperandum. Item quarto eiuſdem cum dixit frigentibus ergo pedibus neque potum, neq; ſorbitionem, neque aliud quippiam huiuſmodi dabis, ſed maximum exiſtimato ſi id tantiſper obſeruaueris, donec ualde incaluerint, deinde ita quod confert exhibe. Frigiditas ſiquidem pedum parte plurima febris acceſſurę ſignum exiſtit, quo tempore ſiquid porrigas maxime prorſus peccabis, nempe morbum non parum augebis. At vero

cum febris dißierit, contrario modo pedes reliquo corpore calidiores ſunt. Idem infra, nempe cum pedes frigidi fuerint, venter de neceßitate calet faſtidit'que cibum, intenditur hyppocũdrium, iactatur propter internam turbationem corpus, mens fixa non eſt, dolet ęger, lancinatur, vellicatur'que, vomere affectat, & ſi mala vomuerit dolet. Ergo cum calor ad pedes deſcenderit, currit'que vrina, & ſi non ſudet, omnia ceſſant, quo tẽpore ſorbitionem dare expedit, nam alias pernitioſã exiſtit. Hęc quidem Hip. ſcripſit incommoda euenire ijs qui in initijs acceßionũ cibantur. Sit'que à nobis in præſenti definitum, quod cum ob breuitatem temporis à vigore præcedente ad ſequentem acceßionem, alterum duorum ſequi ſit neceſſe, aut ægrum vt adhuc calentem nutriamus, aut ſequentis acceßionis inuaſione iam iam affutura, conſultius eſſe primum, vt ſanum magis eligere, in omni morbo, in omni natura, & in omni habitu. In qua ſententia Hip. eſſe certum eſt libro de ratione victus in eo loco qui ita incipit, cum autem purgaueris ſorbitionibus quibuſdam vtitor. Cæterum cum ſpatium inter ſummum prioris acceßionis vigorem & ſequentis principium interuenit, adeo amplum fuerit, vt ſatis ſit ad binas cibi oblationes, offeremus ſemel quidem, reſoluta omnino priori acceßione, iterum'que ſequẽti nondum incipienti. Temporis autem inter ſecundam oblationem & ſequentem acceßionem quidã quattuor horas ſat eſſe putarunt. Id'que forſan ex Gal. octauo de methodo ſumunt, vbi aſſerit. Abunde eſſe ſi tres æquinoctiales horas quattuor'ue inter balneum, acceſ-

sionis que tempus inter ponantur (à balneo enim semper ægrotantibus cibum ministrabat.) Verum in præsenti citra disputationem, non satis esse, si tres quattuor ue horæ inter cibum & sequentem accessionem inter sint arbitror. Nam intra limites dispositionis ad futuram accessionem, naturam alio intentam ciborum coctioni segniter atque imbecilliter vacare putandum est. quæ causa est vt diutius eo tempore cibus in uentriculis laborantium immoretur. Quapropter ijs qui ab humore putrido à febre detinentur, si quando ante accessionem cibum sint capturi, septem horarũ interuallum ad sequentis accessionis initium, necessarium esse, vt cibus in ventriculis eorum decenter coquatur, & ad inferiores partes descendat, iuxta sententiam haly medici arbitramur. Nec Gal. huic contrarius est opinioni. Nam si ea quæ parum vltra eum quem citarunt locum scripsit, legant, ita dicentem audient. Tempestiuum inquit est iam ad ea quæ post balneum adhibentur accedamus. Sunt autem ea minime multa. Nam præter aquam quæ parum apij incoctum in se habuerit, nihil his est offerendum. Licet quod inter balneum & suspectas horas spatium erit, trium fore horarum conijciamus. hæc quidem Gal. Et vt apertum fiat ob angustiam temporis ad sequẽtem accessionem, febricitantem non cibasse, audias quid ijs statim subiungat. Si vero inquit circa vesperam, aut duabus horis citius accessio inuadat, tum lauisse mane liceat, tum cibasse &c. Audisti Gal. eum cuius accessio ad vesperam futura est, mane cibasse. quod nostrorum medicorum imperitiam aut in

ſanam temeritatem arguit, qui ſat eſſe ſi tres quattuorue horas à cibo ad acceſſionẽ interponant arbitrantur. Sed reliqua propoſiti proſequamur. Proinde corpora quæ calida & ſicca ſunt natura gracili habitu, & ſi parum ante acceſſionem cibentur, minime lędentur. Quin immo Gal. refert plures eorũ à febre liberaſſe quibus in ipſo horrore cibum exhibuit. Illud tamen intelligere oportet, cum ob retentionem mordentis halitus febricitant. Tunc enim cibo conuenienti, corpore humectiori reddito acrium excrementorum minor commouetur copia. Sed & cutis mollior redditur. Vnde fit vt ij qui inchoante horrore percutem corporis ab acri excremento mordentes feruntur fumi, cibi & potus dulci halitu mitiores reddantur, vnde ob dictas cauſas febrilem non concipiunt calorem. Ob id igitur Gal. cibum ijs durante horrore cõcedit, minime autem cum iam calorem febrilem patiuntur. His tñ ſi qñ febre à putrido humore laborent, cibum in acceſſionibus exhibeamus ea fiducia, vt eos à febre liberemus, non leuiter in eorum damnum errabimus. Minus tamen ij quàm qui alio ſunt habitu lædentur. Sed hæc de tempore nutriendi febricitantes opportuno, ſatis ſint dicta. Reſumentes igitur ea quæ hucuſque diximus quod reliquum eſt proſequemur. Formam victus quam Græci σχῆμα vocant, à morbi conſtitutione, & ægrotantis robore ſumendam eſſe diximus. Scopum que totius huius conſiderationis eſſe, an ijs quæ comeduntur aut ijs quæ ſorbentur, aut bibuntur ægrotantem nutrire, an omnimoda cibi & potus abſtinentia vti debeamus, formam eſſe victus quærere. qua

inuenta, quantitatem determinabimus, à consuetudine primo, deinde à morbi constitutione. In initio tantum esse exhibendum, quantum indicat consuetudo diximus. Deinde vt symptomata ĩcrescunt, ita minuere, ita vt in vigore, & parum ante ipsum, nihil sit exhibendũ. Deinde ostendimus secundum Hip. & Gal. vnica victus forma, à principio ad statum vsque, & parum ante ipsum nutriendos esse ægrotantes. Non vt aliqui senserunt crassiori victu in principio, quam in augmento, & in hoc quàm propè statum. Hanc'que crassitiem maiorem aut minorem non ad quantitatem solum, sed ad formã victus referentes. Vnde cibarijs vtuntur & forma & substantia longe dissimilibus stante eadem morbi constitutione. Cum quibus disceptare hac de re breuitati consulens prætermitto. Solum lectores admonitos esse velim, si Hip. libros diligenter euoluant, vnica victus forma, ægrotantes alere ab initio, acuti morbi ad statũ vsque inuenient. Porrò iam dicta de ea morborum differentia fore intelligenda dictum est, qui ab initio leuiter incipiunt & summissim increscunt, & exacerbantur ad iudicationem vsque in qua abunde elucent. Verum in morbis ijs qui ab initio florent, & vigent maxime, & ad difficilius increscunt, iusta vero crisim imminuuntur aliam fore diximus victus. Obseruandam rationẽ, nempe à robore virtutis & à coctione morbi victus formam sumendam esse. Ita vt cum morbi cruditas affuerit, tenuiter ægrotantes nutrire oporteat. Cunq; coctio in materia apparuerit, formam victus mutandam esse ad crassiorem, quantitatem'q; augendam. Diximus'q;

in omnibus morbis in quibus procedens coctio sympto=mata imminuit, hanc victus rationem seruandam esse. Cæterum numerum diximus à robore virtutis et à mor bi constitutione & à consuetudine sumi. Hæc primum oblationum numerum indicat, à quo morbus detrahit aut virtutis imbecillitas addit. Si ergo quis recte quæ dicta sunt in singulis victus scopis percipiat, quattuor esse vniuersi victus indicantia rationem colliget. Nempe virium robur, morbus, ægrotantis temperamentum, & consuetudo. Tot enim & non plura in ijs quæ diximus numerauimus. Hancque indicantium victus ratio=nem summam, secundum mentem senis esse scito in li=bro secundo de ratione victus vbi ita scribit. Conijce=re autem oportet robur, & morbi cuiusque modum, ho minis item naturam, atque ægrotantis in victu consue=tudinem, non in cibis solum, verum quoque & in potibus.

CAP. X.

Diuinus igitur Hip. in libris de ratiõe victus, de sorbitionibus & poculis solum egit, tanquam heæ solum acutis morbis conueniant victus for mæ. De ptisana scripsit vt pote quæ leuissima omnium aliarum sorbitio est, & acutis maxime conueniens. Vt ostendat, quod cum in exhibitione huius committatur er ror, nõ paruas inde fieri in acutis noxas, grauiores mul to fore si alijs vtamur cibis. Primum ipse ostendit ijs verbis, lubricissima est, sitim maxime arcet, facillime co quitur in firmissima existit, si optime cocta fuerit, qui=bus omnibus est opus. Secundum, ijs verbis ostendit, si lateris dolor assiduus est, calidisque fomentis non remit=

titur sputum que non procedit, ptisanam autem ita affe ctis dederit, præcipitem aget in mortem. Quod autem ijs similia accidant eis qui alijs cibis vtātur, ipse statim ostendit. Prehendunt autem, inquit hęc, non solum si ptisana intempestiue vtātur, uerum & multo magis si quippiam aliud quam ptisana inconuenientius sit edant, aut bibant. Sunt igitur nonnulla quæ scripsit Hip. de ptisana iuditia cum alijs cibarijs cōia, quædam peculiaria ipsi ptisanæ. Communia hæc sunt. Cum morbus à principio floret & viget, vt pleuritis, & peripneumonia uitanda est ptisanæ sorbitio, & multo magis quæ ex alijs cibarijs fit, maxime ea quæ eduntur affectu existente crudo, sunt enim causa suffocationis & mortis. Sed tunc temporis potus humectantes exhibere conuenit. Cunque morbus coctionem iam recipit, & sputa procedunt, sorbitionem dare licet, & eius quantitas prout morbus magis maturescat augēda est. Præterea symptomate quocunque superueniente aut periculo, sicut tunc ptisanæ sorbitionem suspectam esse dixit, ita & omnem alium cibum qui solidior sit ea. Insuper et illud cōmune est, nempe tempus exhibitioni opportunum, cū caliditas ad pedes descenderit. Præterea incipiendum esse inclinante febre à magis tenui cibo ægrotantes alere. Demū illud, nempe post purgationem medicaminis sorbitionem esse ministrandam quæ consueta sit minor. Peculiaria sunt hæc, vt ptisana optime apparetur. Nam nisi quis q̄tum deest contulerit, vt ptisanæ sorbitio sufficienter paretur, crebrius sanè detrimentū afferet. Deinde illud quibus enim cibus statim inclusus, siquis nō va

cuato eo, sorbitionem dederit, dolorem si adest ad augebit, & si non adest protinus inducet, frequentior'que reddetur spiritus, quodmalum est, nam pulmonem exiccat. Præterea & illud vbi autem quis medicamentum ebibit, ptisanam protinus sorbendam dato. Nec insigniter minore quàm consuetum est quantitate. Præterea & illud nisi propter pharmatiam aut clistere ab usu ptisanæ desistendum sit. Gal. addit aut propter sanguinis missionem, hæc omnia soli competunt ptisanæ minime alijs cibarijs.

CAP. XI.

IN solis ijs morbis mulsa vtendum est, in quibus prę acuminis vehemētia morbus peracutus fuerit. Aut ob aliquem dolorem, aut si periculum instat. In summa morbis ijs quibus supra sorbitiones probibuimus, indigentes eo quod pulmonem humectet, & sputum mediocriter educat, & tusses mitiget, aut eo quod vrinas abunde cieat, aut biliosa deijciat excrementa, mulsam eligimus. Meratiorem cauentes ijs qui natura calida & sicca sunt, amare bilis hominibus picrocholi græce dicuntur. Iis vero quibus, tumefacta sunt viscera ob scyrrhum, aut ob phlegmonem, immoderato calore bilescit. Scyrrhus enim impedimento est ne cito ad renes & viscera transeat. Vnde longa mora in bilem similiter vertitur. Picrocholis igitur dilutior exhibenda est, ut citius penetret. Iis simili modo ministrato in quibus pulmonem magis lenire cupimus & sputum magis educere. Meratior vero potentius biliosa deijcit excrementa, magis tamen suspecta ijs est qui calida sunt natura. Spumo

sa siquidem ijs & plusquam conuenit biliosa efficit excrementa in bilem flauam transiens. Vnde à aduersissimã liquefaciẽtibus febribus esse mulsam scripsit Gal. in tertio de ratione victus. Oximelite in ijs vtemur morbis in quibus sorbitionibus supersedemus. Tunc maxime cum sputum crassum & glutinosum educere volumus, aut sitim sedare, flatum discutere, & vrinas mouere. Proinde oximeli quod valde acre est, ad crassa sputa & vehementer glutinosa vim habet. Verum si huiusmodi sputa non secat aut educat, non solum non confert, verum et detrimentum affert. Nam exiccans, ea magis reddit crassa & glutinosa. Aut ergo quod valde acre oximeli est proderit, crassa si secuerit sputa, & ea eduxerit, aut id si non præstet abunde nocebit. quapropter recte Hip. dixit nihil mediocriter efficere, in ijs quæ non facile educuntur sputis. Iccirco ægritudinis morigerationem aut malignitatem considerandam esse ait, vt sciamus quibus exhibitum secabit sputa, & quibus non. Iis igitur qui grauiter hñt, & virium imbecillitate laborant, non propinabis. Quod si ob virium robur de eo bene speraueris, dabis. Paulatim & tepidũ. Oximelitis nocumenta sunt hæc, quod partem intestini imam reddit humectiorem, & ramenta facit. Vnde imbecilla habentibus intestina exhibendum non est. Est aliquando in acutis morbis vt ramenta intestini praua ob id sint, quod flatum non modo foras prodire vetãt, verum quoque reuerti faciãt. Et ob hæc vires frangũt, extremáque infrigidant. Qui autem non sorbitionibus sed potione sola vtuntur, ijs non semper oximelite uti

In fine 10. de methodo medẽdi.

expedit, ob intestinorum abrasionẽ, eo præcipue quod stercore vidua sint. Cum igitur sputa quæ in brõchijs pulmonis contineantur, vel glutinosa uel admodum crassa sunt, mulsáque sitim inferat, solo est vtendum oximelite. Quare vt longo vsu non noceat, aquę mulsæ tantum aceti miscendum est vt duntaxat sentiri possit. Et ita simul ad lentum ignem coquere oportet. Hoc enim pacto ad nocendum infirmius erit. Sed abunde à nobis de victus ratione secundum mentem Hip. *hucusque dictum sit.*

CAP. XII.

SEd tempestiuum est de potu sermonem faciamus qui febricitantibus conueniat. Hunc, *omnia quæ supra ostendere victum diximus indicant, nempe virtutis robur, morbi dispositio, ægrotantis natura, et consuetudo. Vt nos docuit* Hip. *in secundo de ratione victus in hæc verba,* προσεκμαρτέα δὴ καὶ ἡ ἰσχὺς καὶ ὁ τρόπος τοῦ νοσήματος ἑκάστου καὶ τῆς φύσιος τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ ἔθεος τῆς διαίτης τοῦ κάμνοντος οὐ μόνον σιτίων ἀλλὰ καὶ ποτῶν. Hoc *est conijcienda sunt & robur, & modus cuiusque morbi, hominisque naturæ, & consuetudinis laborantis in victu, non in cibis solum verum quoque in potibus. Quibus in verbis quattuor esse quæ potum indicant aperte docuit. Cæterum si eorum quę supra in dequalitate victus diximus memineris, tria sat esse ad potus indicationem intelliges.* Nam *laborantis natura vt illic ostendimus, non nisi interuentu consuetudinis indicat.* Nam *ægrotanti frigidę, naturę, potui aquę assueto, aquam non vinum mini=*

strabimus, sumpta à consuetudine indicatione, & non à laborantis natura. Neque rursus homini calidę naturę ægrotanti, aquam in potu dabimus, qui perpetuo vino assueuerit. Hæc ex Gal. octauo de methodo colligimus de calidis naturis & siccis loquens in hunc modum. Si quis vero inquit non adsueuit scilicet frigidæ, huic per febrem dare non inceperim, nisi pristina plane sanitate prius reddita. Indicatio igitur à consuetudine, eã obumbrat, quæ à natura laborantis sumitur indicationem, durante morbo. Nec id mirum videri debet nam maximã uim habet consuetudo, repentináq; ab ea digressio, corpora non parum offendit. Vt à Gal. scriptum est secundo de ratione victus. Tria igitur sunt quæ potum indicant, nempe virtutis robur, morbus, & consuetudo. Virtus cum valet, consuetudini in indicatione potus consentit, eum maxime potum indicans quem consuetudo. Cũq; imbecillis est, qñq; dissentit, vnde fit vt ægrotanti frigidæ assueto, modicum vini quo eius roboretur natura cõcedamus. Cuius argumentum est, pluribus, dulce bacchi venenum, primam labijs admouendi occasionem, dedisse ægritudines. Morbus cum magnus est & vehemẽs consuetudinis indicationem obscurat. Nam laboranti acuta febre vino assueto, eum ministrabimus maxime potum quem ægritudo indicauerit, virtute nequaquam dissuadente. Vt ex Gal. nono de methodo colligitur cũ de continentium febrium curatione agit. Vbi frigidæ potum post coctiones exhibet, à consuetudine nullam sumens indicationẽ. Vbi in hũc modũ scribit. Cum ergo coctionis humorum in ijs notas videris de quibus dictũ

abunde in libris de crisi est, audacter frigidam dabis. Et subiungit statim, quod si etiã frigidæ assuetus ęger sit, magna cum fiducia frigidam exhibebis &c. Ac si velit id quod eodem libro scripsit in hæc verba. Si quidem cum sæpe iam uidimus non paucos ex ijs qui febribus ardentibus præmerentur, cum iam mediocriter concocti humores essent, statim ex frigidæ potione à febre liberatos, quãuis ei potioni parum assueti fuissent. Multo arbitror magis in ijs qui assueuerunt vtilitatem fore, citra noxam vllam sperabimus. Vnde non ob id quod aquæ assuetus non sit, ab ea desistendum est, nisi cum aliquod effatu dignum incommodum naturæ ab eius occursu timemus. Ob id apposui uirtute nequaquam dissuadente. Idem ab eodem vndecimo libro de methodo medendi colligi potest, cum in febribus continuis, absolute citra consuetudinis considerationem, vinum prohibet, & frigidam exhibendam consulit. Imbecilli vero morbo existente, diuersum que ab eo quem consuetudo indicauit potum exposcente, quæ à consuetudine sumitur pręualebit indicatio. Vt manifestum est ex eo quod Gal. octauo de methodo scripsit. Qui cum vinum vtilius esse, quàm aquam dixisset, ad coctiones, & vrinę, ac sudorum, prouocationem, statim subiungit. Ego igitur censeo eius generis naturas & dum valet huiusmodi potione scilicet aqua magno opere iuuari, nec in diaria febre ijs quibus in vsu fuit eam circuncido. Si quis vero non adsueuit huic per febrem dare non inceperim, nisi pristina planè sanitate prius reddita. Ostensum igitur est quod cum morbus & consuetudo diuersos potus in=

dicant, si morbo magnitudo accessit, huius indicationẽ, obscurare eam quæ à consuetudine sumitur. Quod si morbo nulla effatu digna accessit magnitudo, aut vehementia, scito indicationem à consuetudine tunc præualere. Cæterum de robore virtutis & morbi magnitudine supra abunde dictum est, cum de victus forma sermonem fecimus. Sciendum præterea quod cum virtus ob imbecillitatem vrget, eum semper indicat potũ, quo maxime roborari possit. Qua de causa roborantem potum nuncupamus quem causa roborandę virtutis ægrotantibus cõcedimus. Tale in primis vinum est, quod omnium maxime corporis vires naturales & vitales roborat. Morbus eum indicat potum, qui morbo aut eius causæ qualitate contrarius sit. Ob id curantem potum eum dicimus, quem morbus ipse indicat. Est autem talis, acutis & vehementibus febribus, aqua. Vt ex Gal. in tertio de ratione victus (licet sub alijs verbis) colligitur, cum ita scribit. Quando igitur inquit bibi idonea est aqua, cum scilicet potu solo æger nutritus fuerit, nullo pacto accepto ptisanæ cremore. Tunc enim in potionum aliarum medio, aquam tempestiue quis ingesserit, & præsertim cum siticulosus æger fuerit. Per illa verba, potu solo nutritus fuerit, intelligit, ab aliquo ægrotantem acutorum morborum affici, cuius causa solo victu per pocula nutriatur. Ac si velit quibuscunque acuto morbo laborantibus, aquam conuenienter in potum exhiberi. Aqua igitur in primis, potus curans in acutis affectibus est. Vires tamen corporis minime roborat, vt ab eodem loco citato scriptum est cum ait.

quod autem inquit non alat antea dictum est, quo fit vt facultatem vitalem roborare non possit &c. Ab aqua simplici consequenter est ea in qua virtus alicuius rei per decoctionem transmissa est. Vt aqua ex decoctione hordei aut liquiritię aut prunorum &c. Et sunt tot numero quod sunt res quæ simul cum aqua decoqui possunt. Est & vinum in aliquibus morbis potus curãs. Vt ex Gal. in libris de methodo medendi apparet, & ex Hip. tertio de ratione victus. Consuetudinem vero eum cui æger assueuerit potum indicare diximus, qua de causa consuetum potum eum dicimus quem consuetudo indicat. Qui vnus è tribus est potus, quibus vbiq; terrarum vtuntur homines, nempe aqua, vino, Cernisia. Lusitani aquæ potu delectãtur, Galli & Itali vino, Germani et Angli cernisia. Cæterum potus roborans multiplex est. Nempe vinũ potens quod vinosum Hip. nũcupauit, id tale est quod in aliquo vehementissimum est. Est & huius contrarium quod aquosum ob id medici nuncuparunt quod aquæ maxime in omnibus simile existit, nempe tenuitate, colore, & odoris carentia, & non manifesta calfactione. Iis omnibus consentit Gal. tertio de ratione victus in initio. Porrò inter hæc multa esse quæ mediæ naturæ sunt vina comperies. Nos clarioris sermonis gratia, tria inter iã dicta, media locauimus. Vnũ quod vehementissimo proximum est. Aliud quod aquoso. Tertium quod medium obtinet locum. Primũ ex duobus maxime dignoscere oportet. Nempe vt in mixtione vinum aquam manifestæ euincat. Item vt in eo aliquod sit vehementiæ vestigium. Secundum contraria qualita

te dignosces. Nempe vt in eo aqua euincat & imbeciliter calfaciat. Ex ijs duobus medium intelliges, nempe in quo neutrum sensibiliter euincat, & nullum in eo vehemētiæ vestigium appareat. Nos quo facilius res percipiatur, singulis horum nomina imponemus. Vinū vehementissimum, vinosum nuncupamus. Eius contrarium aquosum. Huic proximum imbecille. Eius oppositum potens. Et medium inter hæc. Scire oportet has vinorum speties reperiri posse in simplici vinorum natura. Nam quod fuluum colore est, vehementissimum est. Huius contrarium est, quod imbecillitate, colore, tenuitate substantiæ, odoris carentia, & occulta calfactione, aquę simillimum est. Huic proximum, vinum album tenue, sine odore, imbecilli calfactione est. Cuiusmodi sunt vina alba tenuia inodora quæ in aliquibus Italiæ locis proueniunt. Proximum vinoso est vinum colore, rubeum crassum, odorum, cum vehementia calfaciens. Cuiusmodi sunt quæ Hispania profert. Medium, colore sub rubeo est, splendidū, mediocris substantiæ, inodorum, manifeste citra aliquam vehementiam calfaciens. Cuiusmodi sunt vina quæ ex gallia deferuntur. Posset quisq; imitari has naturas, potenti vino aquā pro ratione cuiusq; immiscens. Ita vt aquosum efficias si aquæ portioni tantummodo id vini misceas, vt modica fiat in eo vini representatio. Id enim discimus à Gal. in tertio de ratione victus in acutis, qui vinum sic tēperauit multa aquæ cōmixtione. Cuius verba ita habent cum igitur inquit seni cuidam ægrotanti quotidie vinum aquosum exhiberem, quidam ex huiusmodi medicis præsens, me vini mi

nimum, aquæ instilantem contemplatus risit, ægrumque vinum non bibere sed duntaxat videre dixit. Non sane intelligẽs, mixtionem vini quod gratia voluptatis datur, ad aquam aliam esse symmetriam, & aliam esse eius quod ad opem ferendam ministratur. Nam vini omnino minimũ veluti excitationẽ quandã quæ ad distributionẽ aquam trahat permiscemus. Vt duntaxat aquæ tollamus sinceritatem, non aũt aquã vinũ faciamus. Sũt autem plerique ex sanis qui vinũ aqua dilutũ bibant, sed in ijs aq̃ gustatu ipso euincere nõ oportet. In ægris vero vt modica sit vini repræsentatio. Sic de oximelite paulo ante dicebat aquosum laudans &c. Hucusque Gal. quibus in verbis modum mixtionis aquæ cum vino ad aquosum vinum efficiendum aperte docuit. Talem immixtione seruare iubens symmetriam vt modica sit vini ingustatu ipso repræsentatio. Imbecille efficies si tantum aquæ inijcias vt vinũ imbecilliter calfaciat. Sed vt exactius rem assequi possis, vinum super aquam infundere expediet, subinde labijs admoueto vt cum primum ad metam imbecillis calfactionis deuenerit mixtio, vini non amplius infundas. Simili ratione vinum quod moderatum diximus efficies, tandiu vinum aquæ immiscendo, donec neutrum duorum euincat. Posset qui vis his alia media inserere, naturasque eorum penes aliquod trium sensuum obiectum diffinire. Sed hęc sufficere omnibus tam ijs qui acuto, quàm ijs qui hebeti sunt sensu, arbitramur. Eo præcipue quod reliquæ quæcũque inter has sunt potus differentiæ haud facile à sensu discernuntur. Potus similiter quo communiter angli

vtuntur multiplex est. Nempe vehemens medius & imbecillior. Discrimen inter hos penes vehementiam, & imbecillitatem, calfactionem, & refrigerationem, & penes substantiæ crassitiem & tenuitatem habetur. Apud anglos triplex semper paratur potus, nẽpe aquosus, quem simplicem cernisiam dicunt, medius, quem trihapeninam, potens, quem duplam cernisiam nuncupãt. simplex eosdem effectus præstat quos vinum aquosum. Aperit siquidẽ, refrigerat, & distributionem adiuuat. Nec decipiatur aliquis credens ob eius amaritudinem calfacere, partes enim quæ cernisiam amaram reddunt, pauce admodum sunt, si ad reliquas conferas, quæ in ipsa refrigerant. Quod colligere ex ratione lupulorum poteris ad aquæ & hordei portiones. Cito præterea amaritudo à cernisia euanescit, reliquarum vero partium facultas tandiu permanet donec in aliam transmutetur substantiam. Potens cernisia quam duplicem dicunt, potenter calefacit & quid habet vehementiæ, vt potens vinum. Trihapenina mediæ naturæ est, manifestæ calfacit in nullo tamen vehemens est. Posset quis duos alios potus efficere mediæ naturæ inter hos, et totidem in cernisia differentias ac in uini natura fecimus. Vt si simplicis cernisiæ duos ciathos vni trihapeninæ misceas, medium potum inter duos efficies. Quod si simplicis cernisiæ vnum, mediæ vnum, duplicis vnum, simul misceas, medium potum inter mediam & duplicem efficies. Vocemus hos quinque cernisiæ potus eisdem nominibus quibus in uinorum naturis vsi sumus. Simplicem aquosum, proximum quem ex mixtione duo

rum confecimus, imbecillem, deinde medium, & huic proximum potentem, omnium postremum vehementem. Simili ratione totidem posses efficere differentias, illius potus quo molliores anglorum vtuntur. (Allam vulgari sermone appellant) sunt qui ceruisiam per u, hunc latine dicant. Potus est vltra modum inflatiuus, nullam ex eo febricitantes vtilitatem capiunt. Neque enim refrigerat, neque aperit, neque vllam promouet euacuationem. Sed nec sitim sedat. Corruptioni præterea aptissimus est potus. Et vicinos ad similem affectum disponit chimos. Eius insuper substantia nimis prompta est, vt in flatuosos soluatur halitus. Qua de causa capiti & neruis incommodus est. Materia insuper obstructionum est, vnde iocineri & lieni inimicus est. In summa amicus potus nemini nisi veneri. Ab ijs tamen qui eo vsi sunt bona valitudine, dimittendus per ægritudinem non est vt supra ostendimus. Potus quem curãtem diximus, nullas tales recipit differentias. Nam cum morbo aut eius causæ contrarius sit, fieri non potest vt per intensionem alicuius qualitatis aut remissionẽ vllas præstet differentias. Oppositio siquidem omnis latitudine caret. Cæterum meminisse oportet virtutem in maxime, multum, & parum, & nihil vrgentem, supra nos explicasse. In totidem'que morbum partitiones vna plus diuisisse. Nempe in maxime, multum, mediocriter, parum, & nihil vrgentem. Signis'que in vtrisque sectionibus vsi sumus, quibus cui vis facile erit, si nõ admodũ crassa sit natura, cum virtus & morbus maxime, an multum, an parum, an nihil, vrgeãt discernere. Ponamus

mus

mus igitur primum à consuetudine nihil indicari, hoc est nulla sit is qui laborat astrictus consuetudine in potibus, vt si aquæ, vino, & cernisiæ si velis assuetus sit. (Vt consueuere gentis lusitanæ profugi. Qui in Anglia, & Flandria sedem habuere) huic si virtus corporis sit imbecillis, eum indicabit potum quo maxime seruari possit, si morbus non prohibeat. Talis potus vini est quem virtutis imbecillitas indicat. Sed quod nam eligemus nondum constat. An aquosum an imbecillem an medium. Verum id natura corporis indicabit, ijs si quidem qui calido & sicco sunt temperamento, gracili habitu, imbecille vinum cõuenit. Iis vero qui frigida sunt natura, crasso habitu, pingui abdomine tardi, potens, aut vinosum. Quicunque attrabiliosi & mediæ inter hos naturæ sunt, medium. In sanis igitur corporibus nulli potui assuetis, cum aliqua imbecillitate laborant, ab ea solummodo indicatio potus in genere sumitur, à naturali vero temperamẽto species. Quod si nulla imbecillitate eorum virtutes vrgeant, à sola corporis naturali temperie, potus indicatio est sumenda. Vt in sexto de morbis vulgaribus siue Hipp. siue thesalus eius filius tradidit, calidis naturis refrigerationem, aquæ potionem, tunc quietem, consulens. Et hinc licet colligere ijs qui calida & sicca sunt natura cum robore viriũ, aqua vti commodius esse quàm vino. Verum quicunque calidi & sicci sunt temperamenti, imbecilli natura, salubrius esse aquoso vino in potum vti quàm aqua. quia enim aquosum est, calidæ naturæ conuenit. Vt vero vini facultatem habet, imbecillitati subuenit. Vnde ma-

nifestum est, vt ij qui calida & sicca sunt natura, gracili habitu, tenuium succorum, ob id quod cito eorum corpora in halitum soluuntur, & imbecilliores ex inde fiũt, vino aquoso per sanitatem commodissime vtantur. Hoc Gal. asseruit octauo de Methodo cum ait vinum inquit ipse conscius es, me omnibus huiusmodi naturis concedere, sed quod tum aspectu tum viribus sit aquosum. Id enim ad omnia vtilius est quàm aqua, vt pote quod concoctionem iuuet, & vrinas ac sudores prouocet. Ostensum igitur est quod seclusa indicatione à consuetudine, sanis corporibus imbecillibus, genus potus à dispositione uirtutis sumendum esse, speciem uero à naturali tẽperamento. Vbi vero virtutis imbecillitas nihil indicet, prout contingit inculpatis naturis quas semper nisi cum à morbo detinentur robustæ comitantur vires, à sola naturali temperie & genus potus, & species sumuntur. Vnde fit vt corporibus calidis robustis aqua per sanitatem vti, & non vino salubris sit. Anglis & Germanis qui simili valent virium robore, & simili sunt temperatura, & quicunque ijs borealiores sunt, cũ prospera fruuntur valitudine, tribapeninam cernisiam, quæ medius inter simplicem potum & duplicem est, magis conuenire arbitramur. Simplici potu, nisi ęstate feruente non vtantur. Vinum ijs nisi medicinæ gratia incommodum est. Nam ob frigidam continentis intemperiem, tum ob excrementosa cibaria, tum ob fæculentos potus, crassa in horum ventriculis agregãtur excrementa, de genere pituitæ quę longa mora vitiosam qualitatẽ acquirunt. Iis vinum potens si exhibeas, vitiosos humo

res ad iocinerem & venas secũ deferunt. Quare ob eorum crassitiem in angustis iocineris meatibus detẽti, vias obstruunt. Quæ causa est vt coctionem sanguinis perturbent, & deprauent, iocinere ab eis vitium contrahente. Quod si imbecilla ijs vina ministres, alterum duorũ efficies, aut vitiosos chimos ventriculo magis impinges, aut crudos hos magis reddes. Huiusmodi si quidem vina astrictionis, aut quid acetosi habent. Verum medicinæ gratia, modicum vini ad secundas mensas vt coctionem ventriculi adiuuet, & cibariorum incoctorum à sole eruditatem emendet suo moderato calore, his salubre est. Quapropter ijs media vina quæ nihil vehementiæ habeant commoda sunt. Cæterum cum consuetudo suã prętstat indicationem, virtute sani corporis robusta existente, considerandum est, an proprium corporis temperamentum, eundem potum quem consuetudo, indicet, an alium. Quod si eundem, citra aliam considerationem exhibendum eum esse potum scito, quem simul consuetudo & temperamentum indicarunt. Quod si alium, pugna fit inter duo indicantia. Quapropter ætas inter hæc dirimet. Nam si homo citra annum quadragesimũ quintum sit, temperamento consentit. Si vltra consuetudini. Omnis si quidem mutatio magno virium robore indiget, quod raro in ijs qui vltra quadragesimũquintum annum sunt, reperitur. In omni si quidem mutatione duo ad sunt labores, nempe rei consuetę demissio, & ad insuetam transmissio, vt ergo quæ ab ijs eueniunt incommoda, quis effugiat, & vt spes sit quæ futura sunt corrigantur dãna, certo virium robore opus est, qđ raro in

ijs qui vltra annum quadragesimũquintum sunt, reperitur. Vnde prouerbium apud hispanos est, qui cõsuetudinem demiserunt propè mortem accesserunt. Neque immerito nam mors & consuetudo è regione habitãt. Nõ possis consuetudinis egredi limites, quin patentes mortis fores inspitias. Quapropter senibus, consuetis foueri, melius est. Sed de sanorum potu satis dicta sunt. Hoc enim negotium ad speculationem de tuenda valitudine spectat, quare illic quod reliquum est quære. Nos ad ægrotantes sermonem cõuertamus. Positis duobus potum indicantibus nempe virtute & morbo, à cõsuetudine nulla sumpta indicatione, si virtus maxime vrgeat, eum esse exhibendum potum quo maxime laborantis natura seruari possit, neglecta omnino indicatione quæ à morbo sumitur, supra ostendimus de mente Gal. cum de victus forma nobis sermo erat. Quod si multũ vterq; vrgeat & virtus & morbus, dissentiantq; in indicatione potus, præualebit à virtute indicatio, non tamẽ neglecta quæ à morbo sumitur. Sic Hip. in quarto de ratione victus, quibus per febres aluus liquida est, & mens turbatur, horumq; multi floccos vellunt, naresq; fodiunt, & parum quidem interrogatis respondent, sed ex se nihil quod compositum est dicunt, talia ijs melancholica esse arbitror. His igitur ita habentibus si venter liquidus fuerit, absumensque & contabefaciens, sorbitiones frigidiores, crassioresque exhibendas esse puto. Potusque qui sistant, vinosioresque, vel etiam astringentiores. Quibus verbis descripsisse et virtutẽ, et morbum multum vrgentes, ex ijs quæ in superioribus dixi-

mus manifestum est. Vinum tamen, non obstante delirio concessisse in prædicta constitutione causa virtutis multum vrgentis. Apposuit qui sistant, ob alui liquidæ symptoma. Vinosiores que ob ibecillitatis rationem nõ equidẽ vinosum ijs concedit vinũ, qui hmõi delirio laborant, sed aquoso vinosius, postremo enim de aquoso vino sermonem fecerat, cum dixit in tertio cæterum vino albo tenui paucifero & inodoro &c. Cum ergo vinosiores potus scribit, ad aquosum conferre opinandũ est, et eo maxime quod aquosum vinum in simili delirio cõcesserat, libro tertio in expositione illius cum vero in huiusmodi morbis &c. Imbecille igitur vinum quod aquosum proxime subsequitur ad vinosum versus, intellexisse arbitror. Sed quod idem rubrum esse oporteat, inde manifestum est, quod in huiusmodi vinorum natura adstrictio reperitur. Ex ijs igitur duobus locis & ex ijs quæ supra in initio huius speculationis diximus, licet colligere quantum sit aduersantibus indicationibus à præualente detrahendum. Quod vt omnibus, inuestigationis modus pateat, tabellam apponemus, ijs inseruientem in quibus virtus & morbus potum indicant à consuetudine nulla sumpta indicatione. Peracuto igitur morbo, multumque vrgenti, aquam in potum exhibendam esse, virtute robusta existente supra ostendimus in initio huius meditationis. Quod si virtus parum ob imbecillitatem vrgeat, aquosum vinum ministrandum est. Quare picrocholis quamuis acuta febre laborãtibus aquosum vinum propinabimus, ob id quod horum virtutes semper parum urgeant. Nam horum corporum substantia

facile à leui occasione effluit, ob raritatem pororum, & succorum tenuitatem, & calidam eorum naturam. Sic Gal. octauo de methodo dixit. Vinum vero ipse conscius es, omnibus me huiusmodi naturis concedere, sed quod aquosum tum aspectu, tum viribus sit. Id enim ad omnia vtilius est quàm aqua. Vt pote quod & coctionem iuuat, & vrinas ac sudores prouocet. Constat autem & Hip. non in diarijs modo febribus verum etiã in acutis ex ijs quæ de acutarum victu prodit vinum dare &c. Ex quibus verbis manifestum est aquosum vinũ in acutis concedendum picrocholis esse, ob futuræ eorũ imbecillitatis timorem. Causatius igitur vbi virtus corporis ob præsentem imbecillitatem parum vrgeat, aquosum vinum ministrãdum est. Hoc dico quod in omnibus quàm maxime sit aquæ simile. Hoc efficies modici vini multa cũ aqua permixtione. Modus sit, vt modica sit vini representatio. Vt legimus Gal. fecisse, qui minimũ vini multa aqua commiscens id ægrotanti seni exhibuit, ridente alio medico qui forte tunc aderat. Semper' ꝙ cum vinum aquosum dixero, tale intelligo, in quo aqua qualitate & viribus multum in mixtione superat. Vinum vero in gustatu modice solummodo præsentetur. Quod si virtus multum vrgeat, stante eadem morbi vehementia, aquoso vinosius exhibere oportet. Tale imbecille fuerit, in quo aqua in mixtione superat, vini tamen in gustatu ipso manifeste qualitas percipiatur. Vt dulcor, si dulce. Adstrictio si austerum &c. Hoc, imbecille supra vocauimus. Sic Hip. loco iam citato, vinosiores potus ijs administrare iubet, quorum virtutes mul

tum ob imbecillitatē vrgeant. Signum, quod ſic habeant eſt, fluxus ventris, contabefaciens, abſumensq́ꝫ. Quod ſi morbus parum vrgeat, virtute multum vrgente, mediū potum exhibebimus Talē dicimus in quo neutrum ſenſibiliter in mixtione vincit. Quod ſi omnino nō vrgeat morbus, virtute ſimiliter habente, eum quo maxime ſeruari poſſit virtus, miniſtrabimus. Hunc potum quādiu virtus & morbus ſimiliter habuerint, non mutabimus. At cum duorum alterum in aliud uariauerit, pro ratione mutationis, potum miniſtrabimus. Sic ſupra cum de uictus forma ageremus iuxta mutationem indicantiū, uictus formam immutauimus. Nec enim in ea ſum opinione, ut credam, ab initio morbi poſſe medicum, uictū & potum conijcere, qui ægrotanti per totum morbi decurſum exacte conueniat. Dementia eſt putare poſſe hominem eo cognitionis peruenire. Sed de ijs abunde in ſuperioribus diximus. Verum nunc hæc ad tabellā reduximus ut facilius habeantur. Per potum, curantem eum intelligo qui morbo aut eius cauſę ſit qualitate contrarius. Aquoſum roborantem eum, qui ex roborante et curante mixtus eſt potus. Sed ſimilem in eo rationem habet ad curantem roborans, ac uinum ad aquam in uino aquoſo. Imbecilliter roborans, in quo hic ad potū curantem ſimilem ſeruat ſymmetriam, ac uinum ad aquā in uino imbecilli. Reliquorum ſimilis eſt ratio. Vt ſi ponas Socratem morbo parum urgente laborare, ac uirtus eius multum urgeat, potum ei potenter roborantem dabimus.

Tabella his inseruiens quibus à virtute & morbo potus indicatio sumitur.

	morbus maxime	multum	medio=criter	parum	nihil vrgens
virtus non	curans	curãs vt aqua	curans	curans	curans
parum	curans	aquosus roborãs	imbecil=liter ro=borans	medio=criter roborans	potẽter roborãs
multum	aquosus roborãs	imbecil=liter ro=borans	medio=criter ro borans	potẽter roborãs	quo ma=xie serua ri poss.t
maxime vrgens	quo ma xie ser=uari pos sit	quo ma xie ser=uari po sit	quo ma xie ser=uari pos sit	quo ma xie ser=uari pos sit	quo ma=xie ser=uari pos sit

Vt si aquam decoctionis seminis fœniculi Socrati potũ curantem diffinieris, hunc uino miscebis tali symmetria, ut uinum in mixtione manifeste superet. Cæterum tempestiuum est ut de ijs faciamus sermonẽ, in quibus assuetudinem tanquam indicatricem contemplamur. Seclusa in primis ea quæ à robore uirium sumitur indicatione. Deinde omnia tria simul in indicationem potus conuocabimus. Nunc quæ in superioribus de consuetudine diximus, in mentem reuocare oportet. Nempe consuetudinem in maximam, & minorem diuidi. Maximam dicimus, ut cum uni duntaxat potui quis insueuerit. Vt Galli uino, Anglorum nonnulli ceruisiæ, lusitanorum plurimi aquæ. Minorem, cum quis uino insueuit, quia eo bonæ ualitudini consulit, citra aliquod incommodum alio non utens potu. Eisdem modis dicitur id quod insuetum est. Ad hæc scire oportet quod cum morbus & consuetudo consentiunt, ministrandum eum esse potum, quem indicant citra aliam considerationem. Vt laboranti acuta febre lusitano cum uirium robore aquæ potui assueto, aquam hordei quam morbus & consuetudo indicarunt, citra contentionem ministrabimus. quod si pugna in indicatione fuerit, quod uiribus superius est, in indicatione præualet. Nempe morbus si multum aut quàm maxime urgeat. Aut consuetudo, si morbus parum aut nihil urgeat. Sic Gal. octauo de methodo. Si quis uero inquit frigidæ non adsueuit, huic per febrem dare non inceperim nisi pristina planè sanitate prius reddita. Rursus ponamus hominem acuta febre laborantem uino assuetum, aquáque nunquam fuisse usum, quem huic

ministrabimus potum, morbo aquam indicante, consuetudine fortiter dissuadente, morbus quidem in indicatione ob id quod multum vrget præualebit, consuetudine tamen non neglecta. Quinimmo aliquid ei indulgendum est iuxta sententiam Hip. in Apho. id præstabimus si in dicta constitutione potum aquosum consuetũ hoc est vinum aquosum ministremus. Sic olim Dionysio patri meo contigit. Laborabat acuto morbo Gallus, cũque de consuetudine quæreret, dixit se aqua fuisse nũquam vsum nisi ad manus ablutionem. Quapropter hominem à morbo liberauit, consuetudinem in indicationem potus admittens. Licet ergo morbus multum vrgeat, consuetudini dandum est aliquid, hoc est neque totum neque maximum. Neque obstiterit quod Aphorismus solum de numero oblationum agat. Nam verus est sermo, etiam in indicatione potus. Vt ab eodem didicimus secundo de ratione victus loco supra à nobis citato, vbi cõsuetudinis ad indicationem potus meminit. Sed quod in tali morbi constitutione non sit plus concedendum consuetudini, hinc manifestum est. Hip. in tertio de ratione victus ita scribit. Cum vero in huiusmodi morbis fortem capitis grauitatem vel mentis læsionem suspicatus fueris, à vino penitus est abstinendum. Aquam'que tunc dare oportet, vel vinum aquosum, flauum'que, & prorsus inodorum &c. In quibus verbis multum vrgẽtem morbum depingit. Cunque morbus ita habuerit, à vino penitus abstinendum esse iubet. Aquam'que tunc dare consulit. Et subiungit statim, vel vinum aquosum prorsus inodorum. Cunque non eadem sit aquæ & vi

ni aquosi natura opinandum est, aquam vel vinum aquosum non ideo dixisse, ac si vellet, citra discrimen vllum vtrouis æque nos vti posse. Quod ex ijs quæ statim sequuntur verbis manifestum est, cum dixit. Atque ab ipsius potione aquæ exiguum super bibendum est, nam hoc modo vini potentia caput minus tentabit. Cũ ergo vinum aquosum alterius sit naturæ quàm aqua, ab eisdem indicantibus vtrunque indicari non potest. Cumque tria sint, quæ potum indicent, nempe morbus, virtus, & consuetudo, stantéque eadem morbi constitutione, vtrũque consuluerit potum, necesse est aut virium robur, aut consuetudinem, mutationem accepisse. Proinde cum obseruemus in scriptis Hip. ea semper recensere signa quę vires laborantis imbecilles esse ostendunt, cum ab imbecilli virtute capturus est indicationem, fit manifestum, quod cum scribit aut vinum aquosum, ijs ministrandum iubet, qui vino per sanitatem perpetuo sunt vsi, minime aqua. Iis fidem præstat, quod quarto volumine scripsit, in simili morbi cõstitutione, imbecillitatis virium causas apponens, cum dixit. His ita habentibus si venter liquidus fuerit, absumens, & contabefaciens &c. In qua quidem morbi cõstitutione potus vinosiores vt diximus, ratione imbecillitatis virium administrare consulit. Tribus igitur in locis vinum in acutis Hip. concessisse obseruamus. Primo, ratione morbi, vt cum dixit mulsam aut vinum vtrum magis auxiliaturum putaueris. Secundo, causa imbecillitatis virtutis, vt cum dixit his habentibus si venter liquidus fuerit corpus absumens &c. Tertio, ratione consuetudinis. Hoc est quod Gal. octauo de me

Primo de rõne victus.
4. Eiusdem
3. Eiusdem

thodo dixit. Constat autem & Hip. non in diarijs modo febribus, verum etiam in acutis ex ijs quæ de acutarum victu prodit vinum dare &c. Ostensum igitur est quod cum consuetudo, morbi multum vrgentis indicationi dissentit, eum esse exhibendum potum, in quo minimũ sit consueti multum vero curantis. Hunc dicimus aquosum consuetum. Vt vinum aquosum ijs qui vino sunt assueti. Quod si anglo cernisię potui assueto acuta febris accidat, modicum cernisię ei assuetæ multa aqua hordei miscebimus & ei ministrabimus. Sed vt reliqua quisq; in promptu habeat, tabellam secundam apponemus, à qua facile horum singula haberi possunt. Sed illud scire oportet quod quæ de cõsuetudine loquentes hucusq; de frigida potione diximus, intelligẽda esse cũ gratia potus assumitur, non prout gratia refrigerandi, cũ affatim semel exhibetur post morbi coctiones. Ad cuius exhibitionem à consuetudine nullam sumendam fore indicationem ex Galeno supra ostendimus in locis quæ supra citauimus. Illud insuper aduertere oportet quod quę de consuetudine hucusque diximus, de maxima, & potissima consuetudine, intelligenda sunt. Consuetudo vero quam minorem nuncupauimus, aliquñ nullas habet in indicatione vires. Vt qui aqua in potum nõ vtitur ob eius frigiditatẽ & fluctuationem quæ ab eius vsu percipit, febre acuta laboranti eam ministrabimus consuetudini nihil concedentes. Hęc si quidem quæ ab aqua contraxit vitia, immoderato acutæ febris calore castigantur. Quod si insueti potus incommoda à morbo corrigi nõ possunt, minor consuetudo in indicatione potus vires ha

bet, sed priori inferiores. Sed raro accidit vt damna curantis potus, à qualitatibus morbi contrarijs non corrigantur.

Cum à morbo & consuetudine potus indicatio sumitur.

	morbus maxime	multum	medio=criter	parum	nihil vrgens
consue=tudo	curans potus	aquosus cõsuetus	imbecil=liter cõ=suetus	medio=criter cõ suetus	cõsuetus potus

Reliquum est, vt cum omnia tria indicantia simul ad indicationem potus concurrant, sermonem conuertamus. Scire oportet quod cum virtutis imbecillitas, morbi vehementia, & consuetudo, ad indicationem potus cócurrerint, accidere vt plurimum vt duo indicantia in vnum consentiant potum. Quapropter conuenientem potum ab altera duarum tabellarum elicies, ad hunc modum. quærere oportet ab altera illarum potum, qui potiori duorum indicantium quæ in vnum consentiunt conuenit. Eidem'que addes, aut ab eo minues tertij indicationem. Vt exempli causa laborante gallo febre acuta, cũ virtute multum ob imbecillitatem vrgente. omnia simul

in tali constitutione potum indicantia concurrunt, nempe, virtus, morbus & cósuetudo. Duóq; eorum in vnum vini potum consentiunt, nempe virtus & consuetudo. Morbus vero vtrique dissentit. Quapropter potũ quæres qui virtuti & morbo multum vrgentibus conueniat talem ex prima tabella imbecilliter roborantem esse inuenies. Tale est imbecille vinum. Huic iuxta indicationem consuetudinis addes. Quare in tali constitutione potum imbecilliter roborante fortiorem exhibebimus, talis fuerit vinum quod imbecilli parum vinosius est, tale gallo febre acuta correptum in potum ministrabimus. Rursus laboret lusitanus febre acuta, assuetus'q; sit aquæ potui, virtus'que eius multum ob imbecillitatẽ vrgeat, cunque consuetudo & morbus in vnum consentiant potum, morbo & virtuti multum vrgentibus conuenientem potum quærito talem ex prima tabella imbecilliter roborantem esse comperies, à quo ĩdicationẽ consuetudinis demam. Quare imbecilliter roborante infirmiorem, laboranti lusitano potum exhibebimus, tale fuerit vinum imbecilli magis aquosum. Diximus ergo cum omnia tria in indicationem potus indicantia concurrant: duo vt plurimum in vnum consentire potum, siue lusitanus Hispanus'ue Gallus, aut Italus, aut Asiaticus infirmẽtur. Id'q; eo maxime quod ij omnes altero duorum potuum nempe vino, aut aqua vtantur. Sub aquæ appellatione, eas in quibus semina hærbæ aut radices per cocta sunt intelligo vt aqua hordei capillorum veneris aqua liquiritiæ &c. Quicunq; enim aquæ potui assueti sunt, ijs potus aquæ hordei insuetus dici non po-

test, & si ea vsus fuerit nunquam. Anglis igitur & ijs qui flandriam inhabitant & superiorem Germaniam Scotis'que multoties ægrotantibus accidit, vt omnia indicantia in potus indicatione dissentiant. Quin immo quoties anglus soli cernisię potui assuetus, ab acuta capiatur ægritudine cum virium imbecillitate, pugna inter omnia indicantia oritur. Morbus si quidem aquam vt curantem potum exposcit. Virtus ob imbecillitatem vinum vt roborantem. Consuetudo cernisiam vt consuetum. Qua propter tali concursu aut tres omnes miscendi sunt potus, pro ratione indicantiū. Aut vini modicum seorsum semel aut bis aut quoties expediat ad roborandam naturam exhibendum est, deinde mixtum ex simplici cernisia & aqua secundū symmetriam, & morbo & consuetudini correspondentem potum, quoties opus fuerit ministrabimus. Primum modum non approbo, ob id quod non bene conueniant vinum & cernisia insimul. Multo adhuc minus si vinum cernisiæ quam allam dicunt misceas. Conflatur enim ex ijs potus qui facile acescat in sanorum ventriculis & corrumpatur, nedum eorum qui acuta febre laborant. Qua propter secundum modum insequendum esse opinor. Vt potum ijs qui ita laborant in duplicem partiamur. Altero virtutis imbecillitati & morbo indulgebimus, altero morbo & consuetudini. Vinum virtutem diximus roborare, sed acuta febri maxime incōmodum est. Quare vinum aquæ decoctionis hordei & capillorum veneris aut politrici miscebimus pro ratione primæ tabellæ. Addimus capillarem herbam, vt

ſimul cum hordeo coquatur, vt hordeum à corruptione ſeruet, & vt ne vini mixtione aceſcat. Secundum componemus, ſi cerniſiam conſuetũ ægrotanti potum, aquæ hordei miſceamus, iuxta rationem ſecundæ tabellæ. Aqua ſi quidem hordei maxime cum potu vtriuſque cerniſiæ conuenit. Quare quæ ex ijs mixtio ſit, naturæ Angli acuto morbo laborantis maxime conueniens eſt. Hoc præceptum diligenter ab iis obſeruandũ eſt, qui bona valitudine ceruiſia quam allam vulgari ſermone dicunt vtuntur. Iis ſi quidem cum ab acuto morbo capiuntur, incommodiſſimus eſt ceruiſiæ potus. Mutari quidem tunc temporis ad alium conſilium non eſt. Nam vt didicimus à Gal. repentina à conſuetudine digreſſio, corpora non parum offendit. adduximus præterea ſupra ab eodem, ægrotantẽ cui aqua vt dixit cõueniens potus erat, ob in aſſuetudinem tamen per febrem non dedit. Cum igitur ceruiſia incommodiſſimus acutæ febricitantibus ſit potus, ſi quis eo bona valitudine perpetuo vſus fuerit, recte aget, ſi ceruiſia multa aqua hordei commixta vtatur. Iis vero qui ſecunda valitudine medio potu cerniſiæ vtuntur tribapeninã byram dicunt, cum à febre corripiuntur ſimplici cerniſiæ potu vti commodum eſt. Diximus ſi quidem hũc potũ refrigerare, & meatus aperire. Quare qui ipſo per febres vtuntur, trimeſtrem, defecatum, & quàm maxime ſimplicem quærant. quique ex aqua fluente confectus ſit. Hunc quidem in acutis febribus commodiorem iis eſſe arbitror quàm aquam. Quod ſi iam dictorum aliquod deſit, cum aqua hordei hunc miniſtrare oportebit.

re oportebit. De potus indicationibus abunde à nobis dictum est.

CAP. XIII.

EXperiamur an medici lusitani in artis operibus methodum Hip. de ratione victus insequantur. Narremus'que quam victus rationem in febricitantibus diætam lusitani vocant. Si quis febre corripiatur, moto statim vẽtre inferiori per clisteriũ, iure lẽtium aut cocta borragine cucurbita'ue & similibus ad sextam diem ducitur. Qua purgante pharmaco adhibito pulli gallinacei iure, & carnibus alitur. In reliquum tempus hunc obseruant victum, paroxismorum aut exacerbationum diem cauentes ad morbi solutionẽ vsque. Tenui magis victu primis ægritudinis diebus vtuntur stante virium robore. À purgatione autem, quam vt plurimum die sexta, aut octaua exercent, crassiori victu nempe capi aut pulli gallinacei carnibus febricitantes nutriunt. Id agunt, vbi nullum symptoma occurrat, à prædicto ordine eos perturbans. Hunc modum Lusitani & Hispanorum bona pars insequuntur. Sed vt ostendamus quantum à recta ratione & à mente simul Hip. alieni sint, operæprecium erit eorũ audire rationes, & fundamenta, quibus innituntur, vt his destructis sponte eorum labatur opinio. Ferunt nostra tempestate hominum corpora ob delicias, venerẽ, & ob inordinatum victum, superfluis abundare. Facile enim his de causis accrescere ventriculo, intestinis,

iocineri, & venis, excrementa. Communes vocant materias. Has, vt pote propriam morbi effectricem causam fouentes, prius soluendas esse iudicant. Quæ in inferiori sunt ventre clisterio, quæ vero in ventriculo, & venis, tum subtili victu, tum pharmaco deijciente, quod non solum communes sed & propriam morbi materiã respiciat. Aiunt huiusmodi purgatione quam minoratiuam nuncupant, laborantes minus periclitari, imminuta quantitate propriæ materiæ. Cuius multitudinem ob iam dictas causas suspicantur. Hip. etiam hanc euacuationem quam inter initia morbi exercent, acceptam ferunt ex in Apho. inchoantibus morbis. Gal. citant dictum Hip. exponentem in hæc verba. Ad hoc vt citius fiant coctiones, melius in principio euacuare, vt materiã minorem redactam, facilius natura coquere possit. Die sexta iudicantes naturam iam sibi separasse ex communibus materijs bonum, prauumque expulsioni apparasse, farinacum ministrant vt naturam minus grauatam celebris die cretica offendat. A purgatione vires naturæ roborare conantur. Quam languere suspicantur ob clisteria pharmacum & tenuem victum. Quare sorbitionem ex iure pullæ gallinaceæ & carnes eiusdẽ febricitanti apud sextam ministrant. Vt apud vigorem vires habeat natura, quibus morbo fiat superior. Sed vsum sorbitionis apud diem pharmaci, approbant ex Hip. dicente cum autem purgaueris, sorbitionibus quibusdam vtitor, obseruatis ita febrium accessionibus vt nunquam &c.

In 4. de rõne victus

CAP. XIIII.

SEd vt ostendamus quantum à ratione hæc via deuiat. Oportebit primum de minoratiua quam dicunt euacuatione parum disseramus. Nam hanc suspicor præcipuam huius victus occasionem esse. Hinc sumpto initio. Quamlibet artem construi, tum ex ijs quæ in vniuersum dicuntur, tum ex ijs quæ in partem, quæ sunt excepta, ab ijs quæ generatim dicuntur. In singulis præterea artibus duo contingunt errores, alter cum ea quæ in vniuersum dicuntur, in partem quis accipiat, alter cum ea quæ in partem, in vniuersum esse dicta accipiãtur. Grauior quidem error hic priore est, summéque vitandus in arte medica, in qua crudele profectò errare est. Concocta medicari & mouere, nõ cruda neque in principijs &c. Vniuersale dogma aut si mauis præceptum tres habet exceptiones. Quarũ singulæ secundum partem dicuntur. Nempe nisi sint furiosa. Item in acutis passionibus raro & in principijs pharmatijs vti. Preterea inchoantibus morbis &c. Horũ singula ab vniuersali præcepto excepta esse ex eo intelliges, quod dixit nisi sint furiosa. Item in eo in acutis passionibus raro. Præterea in eo si quid videtur. Cunque singulos quos sanandos sumis, initio moueas pharmaco, innixus Apho. inchoantibus morbis nonne sententiam vniuersalem facis, cum ea Hip. particularem fecerit, in eo quod dixit si quid videtur. At tibi forsan id semper faciendum videtur. Cum tamen mens Hip. si quis rem exacte consideret fuerit, tribus affectibus non oportere coctionem humoris ad eius euacuationem spectare.

Nempe aut cum motu inordinato, aut qualitate, aut
quantitate, aliquod vitæ diſcrimen afferunt. Primum in
tellexit, cum dixit niſi ſint furioſa, per corpus inordina
to motu vagantes humores ab ignobili ne ad nobilẽ &
principem partem ferantur, timor eſt. Aliquando con
tingit humorem morbum efficientem adeo quantitate
exuperare, vt merito timeat medicus, ne coctrix fa=
cultas ſit coquendo aut expultrix expellendo. Con=
ſulte aget medicus aut venæ ſectione, aut purgante
pharmaco, vtro magis auxiliaturo putauerit, humo=
ris quantitatem inter initia imminuere. Antequam quæ
à pharmaco euenire ſolet commotio, læſioni ſit magnę.
Magis eo lędit tempore, quo iam calore putredinali et
actione naturę humores agitantur. Fit vt ob agitationẽ
boni cum prauis ſimul educantur. Commotio inſuper
pharmaci ĩ augmento morbi cauſa eſt additionis potius
q̃ diminutionis prauorum humorum. Id manifeſtum qui
libet exiſtimabit. ſi opus naturæ intelligat eſſe coctione
media ſeparare bonos à prauis. Et qualitatis putridi
humoris eſſe, contactu afficere quibuſcunq; obuiauerit.
Eos præcipue qui à naturali calido haud commode re
guntur. Quod ſi ijs addas, naturæ vires imbecilliores
reddi ex pharmaco intempeſtiue exhibito, cuius pro=
prium eſt, multum boni & praui exiguum euacuare, in
telliges quantum mali ſit, perpetuo pharmacum ſexta
die exhibere, ni' facile conieceris, humorem quan=
titate adeo exuperantem eſſe, vt timeas ne uires na=
turæ ſuperet. Quod ſi id iudicas, non ſexta die ſed
ab initio morbo inchoante euacuare expedit. Quod

vero citant dictum Gal. nempe ad hoc vt citius fiant co
ctiones melius in principio euacuare. Perperā de phar
macia intelligendum fore contendunt. Nam per euacua
tionem, venæ sectionem intelligit. Hāc in principijs mor
borum adhibendam esse ait, vt materiam minorem fa=
ctam, facilius natura coquere possit. Quod ipse osten=
dit in expositione Apho. vbi cibus præter naturam in=
trat. Vbi ita scribit ὅτι δὲ κένωσιν μὲν ἁπλῶς εἴω=
θε λέγειν ὁ ἱπποκράτης ὅταν ὁμοτίμως ἅπαντες
χυμοὶ κένονται, κάθαρσιν δὲ, ὅταν οἱ μοχθηροὶ κα=
τὰ ποιότητα μεμνῆσθαι χρή. Id est quod autem eua
cuationem simpliciter consueuit Hip. appellare cum hu
mores omnes æqualiter euacuātur, purgationem autem
quando mali sunt secundùm qualitatem meminisse o=
portet. Et infra ait, declarans id quomaxime humo=
res omnes æqualiter euacuantur. Euacuatio inquit o=
mnium humorum æqualiter quæ exquisitissima est, fit
per uenæ sectionem. Vnde ex ijs manifestum est per ver
bum κενώσεως euacuationem omnium humorum equa
liter, quæ per venæ sectionem fit, intelligendum esse, &
non eam quæ per pharmacum fit, quam Hipp. & Gal.
κάθαρσιν nuncupare consueuerunt & non κένωσιν.
Sed eundem vndecimo de methodo medendi audi, eadē
quæ hic de vacuatione in principijs morborum retulit,
de uenæ sectione dicentem. Cum ergo de vacuatione in
febribus quæ à putrido humore ortum habent ageret.
Saluberrimum, inquit, non solum in continuis verum in
omnibus quas putrescens accēdit humor, venam incinde
re. Leuata enim natura ab eo quod velut sarcina pre=

mitur, quod reliquum est potentius coquet & expellet:
Verbum igitur mouere quod in Apho. inchoantibus morbis est, de venæ sectione maxime intelligẽdum est. Aliquando vero de purgatione vt scriptum est à Gal. in expositiione. Cum ait si quid videtur mouere, sunt autem hæc maxime venæ sectio aliquando vero purgatio. Vnde ex ijs colligi licet, sæpius exercendam esse venę sectionem inchoantibus morbis, quam purgationem. At ij contrariũ agunt purgationẽ quibuscunque in morbis perpetuo inter initia adhibent, venæ sectionem aliquando. Sed in acutis saltem errorem esse fatebũtur. Nã raro in acutis passionibus expedit in principijs pharmacijs vti. Quod si die sexta, aut octaua transactum principium in acutis esse dicant cædo. Sed cum status iam instet, grauiori noxa naturã afficient vt supra ostẽdimus. Ob id enim dixit inchoantibus morbis. In acutis vero quantum periculosæ sint purgationes tum ob medicaminis qualitatem, tum ob commotionem, declarat Gal. quarto de ratione victus in expositione illius verũ si ad hęc non aperiatur. Tum non minus ob errores qui perpetuo in huiusmodi purgationibus cõmittũtur, quos magnas in acutis parere offensas ex Gal. supra ostendimus. At venę sectio minus errori ob noxia est. quinimmo nec eius occasionem nec quantitatem errabit doctus & diligens medicus sanguini missioni assistens, sola ex pulsu facta coniectura. Qua in re Dionysius medicus pater meus facile omnes sui temporis medicos superauit. Perspicuo ex pulsu putridũ sanguinem dignoscens. Quod quam medico possibile sit sensu assequi,

& ad opera deducere, testabuntur angli qui mea vsi ſunt arte, de quo alibi nobis ſermo erit. In acutis ergo morbis raro pharmacijs vtendum eſt, nec in eorum principijs, nam commune in ijs præceptum Hip. eſt venam incidere, ſola indicatione ſumpta à magnitudine morbi, Quare Apho. in acutis paſſionibus raro, exceptio eſt duorum communium præceptorum, nempe illius quod nobis tradidit quarto de ratione victus vbi ſcribit. In acutis morbis ſanguinem detrahes ſi vehemens morbus videatur &c. Et præcepti concocta medicari. Prout enim inter initia acuti morbi pharmacũ miniſtramus, cõmunẽ frangimus regulam concocta medicari. Vt vero venæ ſectione nõ vtimur, contra præceptum de mittendo ſanguine in acutis agimus. Ob quam cauſam dixit & hoc prius bene dijudicantes facere. Hoc eſt an pharmacum magis competat phlobothomo, quod quidem valde neceſſarium & acuto morbo maxime conueniens dixerat. Sed quando liceat in acutis pharmacum exhibere alibi oſtendemus. Dixit ergo in acutis paſſionibus raro & in principijs pharmacijs vti, ac ſi velit. In acutis raro purgante medicamento vtimur, quia vt plurimum ſanguinem in ijs mittere maxime neceſſarium eſt. Quapropter diſcernere oportet, an pharmaco vti maiori cõmodo poſſis, quam ſanguinis miſſione. Cum ergo h c ita ſe habeant, fieri non poteſt vt perpetuo id quod ſexta, aut octaua die pharmacum adhibent, recte & ſecundũ rationem miniſtrent. Vere ita res habet, quod non paucos abſque ulla purgatione ſanauerim, & multo plures quibus nec quarta, ſexta, nec octaua, pharmacum

4. de rõne victus.

purgans exhibui, sed in morbi inclinatione, natura in completam crisim faciente. In continuis febribus raro quantum memini occasionem inueni exhibendi pharma cum inter morbi initia, nedum apud incremẽtum. Febris enī continua est, quæ proprie & maxime acuta est ægri tudo, vt tradidit Hip. Ostensum igitur est purgationem non esse ex vsu quæ perpetuo quibuscunque in morbis die sexta aut octaua fit, quare & victum qui purgationem consequitur. Quod autem de communibus dictum est materijs, non iusta occasio est à recta deuiandi. Quod si ob multitudinem earum nec clisteribus nec syrupis digerentibus absumi posse iudicat medicus, quod rarum est. Potiunculam cassiæ ex oximelite initio dare expedit. Aut eiusdem tres bolos deuorandos ei qui potionem fastidiat. A quibus quinque oximelitis aut syrupi quem acetosum vocant coclearia deglutire commodum erit. Sic enim bilem & pituitam leniendo educit. Nec erit impedimento quo minus rectam victus rationem ab initio ad vigorem vsque instituas. Sed mibi admirari sæpe contingit, quod nostro sęculo infelici omine communes materiæ antiquis temporibus non visæ, comparuere. Aut si erant, non tanti certe habebantur.

1. de morbis vulg.

CAP. XV.

SEd ad reliqua propositi sermonem conuertamus. Primis quinque aut sex diebus febricitantes tenui magis victu alere, deinde cum morbus propè vigorem est solidiori cibo pascere, oīno præter rationẽ est. Minus si quidem natura cibo impedienda est, cum morbi vi instimulata, circa morbi materiæ coctionem impen=

ſius vacat. Vt ſcite à Gal. ſcriptum eſt. Prudens igitur medicus ad ciborum coctionem, naturam tunc temporis ab opere non diſtrahet. Quinimmo ab ijs quos ante miniſtrabat cibis ſubtrahet. Vt cibus quacunque leui naturæ actione tranſmutetur. Qui ſi craſſior eſſet natura alio intenta corrumperetur. Aut certe laboranti naturæ ſuperadderet laborem. Omnis inſuper mutatio diſproportionalis ſi repente fiat, ſanis moleſta eſt, quare multo magis ægrotantibus, vt ſupra oſtendimus de mente Hip. Cum ergo virtus laborantis die ſexta, aut octaua imbecillior ſit, quam erat in initio, minus cibi feret tunc tẽporis natura. Quare vt recte mutatio fiat, mutare cibum pro ratione ad magis tenuem oportet. Quod ſi aliter, diſproportionalis fiet mutatio, nõ parũ naturam aggrauans. Ipſa enim, à magis robuſta, prout erat in initio, ad magis imbecillem, prout eſt ſexta, aut octaua die acuti morbi mutationem habuit. Ratio autem victus contrario, nẽpe à magis tenui ad craſſiorem mutata eſt. Quapropter nullo pacto credendum eſt, naturam poſſe ex huiuſcemodi uictus ratione iuuari. Inſuper mutationes inſignes in cibo ab initio morbi ad ſtatum uſque faciendas non eſſe ſupra oſtendimus. Peſſimam omnium & magis grauantem naturam, quæ à tenui victu ad craſſum repente fit. Ad hæc, Hipp. commentario ſecundo de ratione victus aperte damnat eam victus rationem qua primis ægritudinibus diebus inaniuntur ægrotantes, deinde ad ſorbitiones, ante quã morbus iudicetur tranſeunt. Cuius verba ita habent. Melius ſi quidem eſſe dico vt protinus à morbi initio

1. Aphor.

2. de ratione victus.

sorbere incipias quàm inanitis euacuatisque venis, vel die tertio, vel quarto, vel quinto, vel sexto, vel septimo, si ante hoc tempus morbus haud quaquam iudicatus fuerit, sorbitionem inchoare. Præterea ipse eodem libro in expositione illius hoc autem verius efficaciúsque, ita scribit. Sed sanè deterius aget, qui omnibus ijs diebus vasa ante exinaniuerit, & sequentibus quibusdam diebus ita pauerit priusquam morbus maturus reddatur. Nempe hoc pacto mortem plurimis liquido affert, nisi morbus omnino beneficus fuerit. Quæ vero in principio committuntur delicta ea non similiter domantibus renituntur, sed facilius domari possunt. In quibus verbis aperte nobis ostendit maximum periculū esse in acuto morbo primis quinque aut sex diebus tenui victu ægrotantis venas inanire, postmodum morbo adhuc non maturo ad ea quę comeduntur transire. Ipse præterea eam mutationem damnauit qua ad sorbitionem transitus fit à magis tenui victu. Cum ait de mutatione quę in hęc vel illa fit, plurima sum locutus quod re vera hæc nouisse commodissimum sit, cum ad omnia tum ad id de quo nunc agitur. Nam in morbis acutis ex vasorum inanitione ad sorbitiones transitur. Transeundum quidem præcipio ego sed sorbitionibus haud quaquam vtendum, prius quam morbus ad maturitatē perductus fuerit, aut signum aliquod aliud apparuerit &c. Vides ad sorbitiones transeundum non esse à magis tenui victu antequam morbus maturuerit nedum à iure lentium aut à cocta cucurbita ad capi aut pullę gallinaceę carnes, quę crassum victum constituunt hu-

eiusmodi se habent victus, quos febricitantibus ministrāt occidentalissimi medici. Qui quantum ab eo quod febricitantibus conuenit, ab errent, & à uera Hip. mente satis ostensum est.

CAP. XVI.

Magis anglorum medicorum victus ratio praeceptis artis medicae consentit. Vnica si quidem victus forma febricitantes ab initio ad morbi solutionem nutriunt. Ius pullę hoc modo parant. Ante diem mactant quam crassam elegerunt. Deinde hordeo pręparato prunis, passulis, buglosa, endibia, violis, & huiusmodi hærbis, coquūt plus satis, ita vt ius spissum reddatur hac sorbitiuncula nō solum febricitantes sed eos qui alijs detinentur affectibus nutriunt. Hunc victum à morbi initio ad manifestam vsque inclinationem ministrant. Antiquorum regulas maiori se cura obseruare ostendunt. Tum quia vnica victus forma à morbi initio ad statum vsque procedunt citra permutationem insignem, tum quia sic agentes læsionem quae ex victus formę mutatione ægrotantibus euenire solet, effugiunt. Secundum ex libro secundo de ratione victus colligunt. Primum ex Gal. eodem libro in expositione illius interdū autem & cruda &c. Vbi ita scribit vniuersa inquit hæc contingere his ait, qui perperam cibati sunt à medicis, qui primis diebus exiccatos ægros die tertio, vel quarto, vel quinto, vel sexto, repente ad edulia non peracto morbi vigore permutauerunt. Quasi peracto morbi vigore conuenięter eos victum permutasse dicat. Quod autē

dicebat permutare quidem ſanorum victum in morbis, neque tamen temere id agendum, iam patere ex dictis arbitror. Nempe cũ vna quidem corporis conditio ſani ſit, altera quæ à morbi initio ad ſtatum vſque extenditur. Mox & tertia, quæ ad perfectam morbi ſolutionẽ ſeſe prorogat. Deinde & quarta quæ totius conualeſcentiæ tempus ad vſque ſanitatis habitum occupat, in nulla harum quattuor conditionum permutationem victus inſignẽ facere oportet, niſi prius in alteram conditionis ſpeciem peruentum ſit.

CAP. XVII.

SEd quo magis antiquorum dogmata inſequi eo modo conantur, eo grauius anglos lædunt ægrotantes, eorum vires exoluentes. Angli animo & corpore vigent, cibi, & potus, multum & crebro ingerere aſſueti. Aſſuetudini autem cum aliquid cócedendũ nos doceat Hip. colligitur non eſſe dictam victus rationem quibuſcunque in febribus certã, ſed nimis tenuem, ſumpta indicatione ab aſſuetudine, regione, & cœli temperie. Corpora ſi quidem quæ multo & craſſo vtuntur victu proſpera valitudine, ſimplici ſorbitiuncula alere, tribus morbi temporibus, haud iuſtum eſt. Nam verendum eſt ne corporis vires labãtur ob defectum. Nec obſtiterit quod ſupra in inueſtigatione formæ victus cõſuetudinis non meminimus. Nam & ſi vere formam victus conſuetudo non per ſe indicet, interuentu tamen virtutis indicare videtur. Nam craſſo victu aſſueti, tenui ſi aliquot diebus vtantur, imbecilles fiunt. Quapropter ſupra cum de virtutis robore quæreremus, con

ſuetudinis mentionem fecimus. Ita vt eorum virtutes qui multo & craſſo victu proſpera vſi ſunt valetudine, ob id parum vrgere ac ſi imbecilles ſint, poſuerimus. Regio præterea ad quinquageſimum quartum gradum verſus boream vergens cum frigida valde ſit, calidum innatum intra viſcera colligens fortius reddit. Vnde craſſiori indigent alimento, tum ob hoc, tum vt frigori continentis validius obſiſtat. Quod autem à frigida regione ſimilis ſumatur indicatio ac à frigido tempore, ex eo ſit manifeſtum, quia vires validas ſimiliter efficit, & conſimiles in corpore humano creat humores. Sed hyberno tempore multa quidem propter robur virium & raro danda ſunt. Vt ſcriptum eſt à Galeno in expoſitione Apho. quibus ſemel aut bis. Conſimiliter igitur ijs qui frigidam regionem incolunt, plus cibi quàm quod morbi natura expoſcat, miniſtrãdum. Illud regioni & conſuetudini concedentibus medicis. Gaudere enim ſemper naturam conſuetis dixit Gal. octauo de Methodo ex autoritate Hip. Sunt præterea quàm plurimæ acutarum ægritudinum quę adeo tenuem victum non ferant. Præter acutas febres quas tropicas appellitant medici, quibus non competit, ſunt & quæ die vndecima, & tertiadecima, & quartadecima terminantur, quibus perſcriptus victus non eſt ex vſu, non Italo, non Hiſpano, ſi aliqua ſupra dictarum febrium ſpecie laboret. Cum vterque eorum partius ſecunda valetudine viuat. quod ſi febrem ponas eſſe ex ijs quæ longiorem habeant terminum, recte profectò colligetur, anglos ægrotantes à tenui victu grauiter lędi. Ea ſi quidem im

pense grauis noxa non est, qua morbus vires assumit, sed quæ vires, quibus natura morbo oppugnat, adimit.

CAP. XVIII.

SEd non deerit fortasse errandi occasio. Anglos bona valetudine inordinato aiũt vti victu, ventres'qȝ eorũ ob id crudis humoribus redundare. Hos cũ ægrotant tenui victu absumi oportere iudicãt. Fouent enim inquiunt propriam morbi effectricem causam. Sed res aliter habet vt existimo. Ventres anglorum non crudis sed prauis aut semicorruptis humoribus abundare opinor. Quod si crudos eos dicas, quos natura non euincit cædo, & appellationem non moror. Sed eo modo quo Hip. solet, cruda nuncupare excrementa, nempe flauam bilem & reliqua quæ corpus alere non valent. Eos prauos esse dico, qui post coctricis facultatis actionem nutritioni permanent inepti, consimilem à natura mutationem recipientes ac excrementa. Eos ineptos nutritioni signum est, quod ieiunium haud facile ferant, quorum enim ventres crudis abundant humoribus nutritioni aptis facile ieiunium ferunt, siue assueti sint multum, aut parum ingerere. Vt scite scripsit Hip. in hæc verba, non assuetam inquit cibi abstinentiam facilius omnino ferunt, qui parte superiori pituitosi sunt. Quo fit vt si semel die, cibo vtantur, facilius etiam ferant. Rationem assignans Gal. ad hunc modum scribit. Pituita vero temporis processu coquitur, sanguis'que efficitur. Vnde facilius ieiunium ob pituitę in sanguinẽ conuersionem ferunt, id longa docente experientia. Argumento ergo dialectico, quod à negatione consequentis,

2. de rõne victus.

dicunt, perspicuo apparet, eorum qui ieiunium difficulter ferant ventres carere humoribus aptis vt nutriant. Vnde manifestum fit humores quibus eorum ventres abundant, alimoniæ aptos non esse. Ratio vere rem ita esse ostendit. Et si hæc sola sit satis vt de re certa habeatur scientia, alia adducemus obiter signa vt pusillanimes ad rem percipiendam confortemus. Cum humores in uentriculo contenti, laudabiles sunt, halitus qui ab ijs ad caput feruntur humidi sunt nulliusq́; prauę qualitatis participant. Cunque per poros capitis & faciei effluunt, nulla in transitu particulas extranea afficiunt qualitate. Cum vero praui fuerint & ventriculo diu insederint, necesse est partes eas quæ ab eo p consensum affici solēt, similiter afficiātur. Facies igitur halitus à ventriculo ascendentis qualitatem haud obscure indicat. Corpora igitur anglorum si circunspicias pulchra esse videbis, alba & læui cute eorum membra obduci. Faciē vero eorum quorum ventriculi crudorum humorum congerie grauantur obscura rubedine, pustulis conspersam, lacera multis in locis cute intueberis. Similem in quo videas faciem crudisq́; humoribus grauari eius ventriculū quē iandiu conquerentē audias nōne recte colliges cōiectura habita ex facie eius humores prauā nactos esse qualitatē lōga in vētriculo mora. Halitusq́ue inde ascendentes, faciem inficere. Vt id calido iocineri quis tribuat, sanguinem biliosum efficienti talemq́ue ad corporis particulas mittenti, fieri nequit. Nam cum materia quæ totum nutrit corpus, à naturali mutata est symmetria, necesse est vt singulæ corporis

particulæ lædantur cum facie. Quod si adhuc insi-stas. Sanguinem biliosum aut magis natura excalfactū, facilius ad superiora vergere, cædo. Sed fieri nequit temporis longitudine ad totum corpus quin vitium permeet. Id præterea senibus crebrius accidere quàm iuuenibus videmus, quibus minus causæ est quod biliosum generent sanguinem. Ventres tamen eorum crudis abūdare humoribus non extra rationem est. Verum est quod quibuscunque talis facies futura erit humorum in ventriculo congestorum occasione, immoderato opus est calore, tum vt humores corruptioni disponat, tum vt ab eis fumosos educat halitus, qui faciem maculent. Senibus igitur immoderato vini vsu immoderatum calorem intra viscera excitante, talis generatur facies & non ratione calidi iocineris. Quibuscunque igitur talis affectus accidit materiam à ventriculo prauæ qualitatis suppeditari, calorē vero efficiētē vel ab iocinere vel ab ipso vētriculo adscititiū certū est. His fidē præstant, cibos & potus quibus vtuntur, aptissimos esse vt in ventriculo corrumpantur. Vino & ceruisia quam allam vulgari sermone dicunt ad vnam mensam vtuntur. Potus enim ceruisiæ, cum flatuosus natura sit, vini consortio magis inflatiuus redditur, ita vt caput magis impleat & feriat. Butyro præterea salsis cū piscibus vescūtur. Ita fit vt aduersantibus ciborum & potuū dissimilibus qualitatibus, tota mixtio corruptiōi fiat obnoxia. Rōne igitur quispiam asseret, eos non crudis solum, sed & vitiosis abūdare humoribus, minime ad nutritionē aptis.

Audi

CAP. XIX.

AVdi quo rem deducam. Aegrotantibus anglis tenuem victum ministrare medicos ob id quod eorum ventres crudis redundent humoribus quos ita absumi sperant, errorem esse arbitror. Victū tenuem ministras vt humores in ventriculo redundantes absumas. At ij cum à propria mutati natura, prauam'que nacti qualitatem, nutrire non valeant, vt ostendimus, fit, vt prauos humores morbum efficientes natura (alioquin multum temporis ventriculi coctioni impendere assueta) ad expulsionis opus parante, alter naturæ hostis insurgat, ipsam multitudine & praua qualitate & ob sedis nobilitatē grauiter perturbās. Pręter id qđ à propria morbi effectrice causa laboris patitur. Quod si naturam duplicis hostis in cursu grauatam, virium'que robore indigentem, accedens medicus contra consuetudinem agens, tenuem victum offerat, spōteq; reddat imbecilliorem, nōne merito non medicus sanans sed occidens, non adiutor naturæ sed ægritudinis dicetur. Sed vt nulla aduersario super sit spes, constituamus hominem ex corruptione humorum ægrotantē, cū robore viriū. (Corruptos humores eos dico qui à natura propria migrantes nutrire non valent. Quales anglorum esse supponimus, qui diu ventriculo insederūt.) Sumpta solummodo ab ijs indicatione, parum an multū raro aut crebro huic cibum offeres. Medicus Anglus modicum iuris pullæ gallinaceæ conuenientibus hærbis decenter temperati bis aut ter in die ministrabit. Aut quam dicunt hyposetalam. Aut analberi, aliud sorbi-

tionis genus, quæ parum alimenti præstant. Quid si Gal. audias contrarium dicentem, nonne deinceps mutabis sententiam & anglos in posterum ægrotantes crassiori victu ales. Ille igitur in expositione Apho. quibus semel aut bis ita scribit εἰ δὲ μετ' ἐνδείας ἢ διαφθορᾶς ἡ δύναμις ἐῤῥωμένη τύχοι, καὶ πολλὰ καὶ πολλάκις σιτία τοῖς οὕτω κάμνουσι δώσομεν, ὡς ἂν καὶ τῆς διαθέσεως δεομένης πολλῶν καὶ τῆς δυνάμεως κρατεῖν αὐτῶν δυναμένης. Hoc est si cum indigẽtia aut corruptione facultas robusta fuerit, & multa & multoties cibaria ita laborantibus dabimus. Vt pote multa exigente dispositione & facultate illa vincere potente. Sentis ne dispositionem quæ ex humorum corruptione accidit, non modicum cibum indicare. Sed eundẽ in eodem audi dicentem. Si facultas inquit laborantis imbecillis fuerit, & ea quæ in corpore est dispositio ex corruptione sit vel indigentia, paucum alimenti his, & sæpius dabimus. Parum quidem quia semel totam multitudinem alimenti substinere non potest facultas debilis. Sæpius autem quoniam multis indiget dispositio. indigentia si quidem adiectione indiget, corruptio vero epicrasi. Hos enim qui cum virium imbecillitate corruptione humorum laborant, docet Gal. curare in libris de methodo medẽdi, paulisper noxios humores vacuando, & de centi victu laudabiliores semper apponendo. Curationem hanc per epicrasim fieri nuncupat. Quod si cum virium robore, & corruptione humorum, hominem crebro multum cibi & potus assuetum ingerere, ponas, præter hæc, in regione frigida qualis est anglia,

iudicas ne hunc exiguo & tenui victu alendũ fore an multo & crasso, indicationibus tribus in id consentientibus, nempe corruptione humorum, consuetudine, & regione. Ego quidem multum ijs & crebro exhibendũ esse arbitror. Nisi obstent paroxismorum aut exacerbationum inuasiones. Quod si contingat, rarius multum ijs ministrare oportet. Nec hoc præter mẽtem Gal. est, qui in expositione dicti Apho. ita scribit si vero accessiones non permiserint nec multi alimenti offerẽdi occasiones præstiterint, raro plura exhibebimus, sic quidam transtulit. Aliter tamen habet græcum exemplar nempe. Μηδὲ πολλοὺς τῆς λήψεως ἡμῖν καιροὺς παρεχόντων ὀλιγάκις δώσομεν τὰ πολλά, hoc est neque plures ad cibum offerendum occasiones habentes raro plura dabimus. Et vere ita res habet, nam accessiones non solent plura cibationi opportuna tempora præstare, præcipue si longæ sint. Velim quisquis hæc legerit sibi persuadeat, me hæc scribere, non vt in medicos Anglos inuehar, sed vt veritatẽ omnibus aperiẽs, simul et anglis amorem quo eos hucusque prosequor ostendam. Dabóque operam vt absens, calamo efficiam, quod præsens apud vos præstabam. Clarissime vir Thomas Aldeæ totius Angliæ cancelarie dignissime vnicũ Anglorũ Decus, Ioannes Bakeri primitiarũ cancelarie humanissime, in paternarum legum peritia prudentissime, recti immobilis trutina, vobis hæc commentaria de victus ratione conscripsi, vestra gratia tueamini. (Scio non deerunt detractores) speculatio tamen cum hominibus ex vsu maxime sit, si vestra gratia apud Anglos cõmen

detur, erit vt ad hominum manus libellus veniat, legatur, quod reliquum est speculationis vtilitas præstabit. Hoc quicquid est vobis dicare decreui, vt beneficiorum animum meum nunquam immemorem ostendam vobis. In quibus virtutũ singulare exemplar situm esse scio. Beatam rem publicam in qua ad honores tales euehuntur viri. Sed beatissimam si vos ad magistratus culmẽ euectos, diu *subſtites foueat. Sed ad reliqua propositi redeo. Obijciet nobis Anglus medicus illud Hip. non pura corpora quantumcunque nutries magis lędes, qualiter ergo eos qui ex corruptione humorum laborant adiectione indigere asserimus. Prauos humores aliquãdo in ventriculi capacitate contineri, & quandoq; inter eorum tunicas, & eorum aliqui crassi & lenti sunt, aut tenues, quandoque quiescentes, ventriculo inhęrent, aut mouentur intra eius capacitatem. Hipp. sermo de ijs est qui in spatio ventriculi, aut in vijs per quas commeat cibus humoribus continentur. Qui in prædictis locis tumultuantes praua qualitate cibum nuper aduenientem corrumpunt. Vnde fit vt cibo talia non corroborentur corpora. Nobis vero de ijs qui intra ventriculi tunicas crassitie & lentore pigri continentur, sermo est. Quorum causa non est quod corpus non nutriatur. Sed aliter dicamus. Posito virium robore in duobus æquali, & paribus cæteris, eorum alter corruptione humorum laboret, alter ex multitudine eorum qui laudabiles sint. Cui nam eorum plus cibi concedas. Ego quidem sentio cum Gal. corpus humorum laudabiliũ multitudine grauatum, multum iuuari inedia, aut modico ci

* superstites

bo. Alter vero ex his deteriorem fieri. Nam corrupto rum humorum praua qualitas naturæ vires dissoluit. quare inediam si his aut tenuem victum iniungas, multum profectò imbecilliorem reddes. quia tamen euenire potest vt ob prauam humorum qualitatem cibus corrũpatur, præsertim cum in vijs cibi fuerit adhibere purgationem consulit, antequam reficienti victu conualescentium corpora nutriamus Hip. causam reddens quare corpora eorum qui cibum assumpserunt non corroborentur, ait, quod eorum corpora nõ pura sint, vacuationé que indigeant, vt corpus sumpto cibo corroboretur. Nobis vero in præsenti de ijs sermo est qui intra ventriculum diu inhærentes nutritioni corporis non obstant. quod ex eo manifestum est, eos non obstante humore ventriculi, ex cibo & potu iuuari. Quod argumentum est, aut humores intra tunicas ventriculi esse, cibum aduenientem nõ tangentes, (cui adhæreo sententiæ) aut si in capacitate ventriculi sint, ob eorum pigram crassitiem & lentorem haud quaquam posse aduenientem cibum multum inficere. Corruptio igitur humorum non indicat inanitionem vt arbitratus est oribasius in expositione Apho. corpora non pura &c. Sed potius cibi adiectionem. Vt manifeste à Gal. scriptũ est in fine dicti Apho. quibus semel aut bis. Autumno vero inquit morbi qui ex corruptione fiunt assimilantur. Quapropter qui eo febricitant tempore continua optimi indigent adiectione, & si vires validę fuerint sæpe & multa, si vero imbecilles pauca & sępius afferemus. Anglis igitur cum humores ij qui ventriculis eorum in-

hærent & crassi sint & lenti aut inter ambas ventris tunicas collecti, aut certe quiescentes, non est quod tenuis victus ministretur. Quinimmo danda est opera, vt cum huiusmodi corpora febre detinentur, aut alio morbo, vires eorum quo ad fieri possit seruemus. Vt natura, multitudinem humorum manuteneat. Si enim ob imbecillitatem imbecilliter eis dominetur, facile in eis febrilis concipitur calor, ob prauam eorum qualitatem. Vnde fit vt prẹter propriā morbi materiam, aliam denuo morbificam causam suppeditet ventriculus, prima multo tenaciorem, & sæuiorem. Caute ergo cum ijs agendum molliter'que tractanda sunt huiusmodi corpora, et crassiori victu q̄ pro morbi ratione sunt alēda. Euacuatio etiam talis adhibēda his est, vt propriā morbi materiam solum respiciat, in commotis ijs qui in uentriculo commorantur humoribus. Hos enim securius bona valitudine tractabit medicus. Hoc meo discrimine didici, crassiori victu huiusmodi corpora alere, & leuiusculis purgationibus subducere, in quorum ventriculis multitudo frigidorum humorum diu congesta est. Semper diligenter præcauens nequi in ventriculo sunt humores morbosam affectionē concipiant. Tribus ergo indicationibus in crasso victu consentientibus, iudicas Anglum exiguo & magis tenui victu, posito morbi acumine æquali nutriendum quam Hispanum aut Italum. Ego quidem arbitror crassiori et ampliori cibo Anglos indigere. Sciócp optimos quosque medicos probaturos sententiā meam. Nā nullam mihi legitimam reddes rationem ob quam causam magis tenui cibo, & eius mino-

ri copia ægrotantes Anglos nutrias, posito æquali mor bi acumine quàm Hispani medici ægrotantes Hispanos, aut Itali Italos, qui alioquin magis tenui indigerent, tũ ob calidam regionem tum maxime ob id quod partius secunda viuunt valitudine. Manifestum igitur est hunc victum Anglis virium esse detrimentum & labefacta= tionem maximam. Nec illa iusta errandi occasio est, ob fugiendam mutationem in victu, febricitantium robur simplici iure multis diebus absumere. Profectò grauior error est, quo naturę vires exoluimus, quàm quo morbo fomenta ministramus æque vrgentibus virtute & mor bo. Nec omnem damnauit Hip. mutationem quæ in vi= ctus ratione apud ægrotãtes fit, sed solũ repentinam et disproportionalem vt in superioribus dictum est. A' te nui igitur victu ægrotantes Angli grauiter læduntur. Cuius argumentũ est sudores qui nõ raro his, ꝑ febres circa caput & collũ accidũt. Quorũ causa præcipua, viriũ est imbecillitas & non morbi acumen. Nam huius modi sudores in acuta ægritudine & in mitiori contin= gere solent. Vt ab Hip. scriptum est cum de sudoribus qui circa caput & vultum & ceruicem fiunt loquitur. quos in acuta ęgritudine & mitiori posse cõtingere ait. Imbecillitas virtutis ergo est quæ præcipue hos opera= tur sudores & non morbi acumen. Anglis igitur hos crebrius per morbos accidere quàm sibi vicinis Gallis Hispanis aut Italis à duabus causis nempe, ob victus te nuitatẽ et eo q̃d cubiculis aërem velut carcere occludũt euenire putãdum est. Tenui si quidem victu cito labũ= tur corpora multo cibo assueta.

1. prædi= ctionum.

BRVDI LVSITANI DIONYSII MEDICI FILII DE VICTV FEBRICITANTIVM AD ANGLOS.

LIBER TERTIVS.

CAP. I.



ED *tempestiuum est vt de victu agamus qui singulis febribus conueniat.* Exemplis *si quidem manuducere lectorem oportet, vt facilis fiat sermo. Causus cum à bilioso ortum habet humore si cum robore virium adsit & æger tali sit habitu vt non facile exoluatur, potu nutriatur, vt dictum est.* Hordeum *mediocris ætatis plenum, album, exutum'que ab vtroque cortice coquito in aqua fontis, quæ aut coctione aut lóga mora residentiam fecerit.* Sit'que *hordei pars una aquæ partes uiginti.* Bulliat *tandiu vt infletur hordeum & rumpatur.* Collatum *propina cum opus fuerit.* Hic *potus erit ægrotantis uictus. Quod si sitim non sedat. Præparato eundem potum & hora vna antequam ab igne amoueas recentes violas mediocris magnitudinis*

Aqua hordei

Aqua hordei cum virtute violarũ

insimul coquito, à collatura parum Zucari misceto. Eligito pruna cuius sapor medius sit inter dulcem & acetosum, ita ut nulla participent adstrictione. Coquantur'que in aqua quæ prius per se ante ebullierit, sit'que prunorum pars, vna aquæ partes duodecim coquantur tandiu vt pruna tumescentia rumpantur. In eadem testa qua cocta sunt potum seruato. Dato cum modico Zucari vbi oportet. Aquam per se coquito ad tertias, cunque subsidentiam fecerit ad aliud'que vas collatam effuderis, syrupi acetosi imbecillioris partē vnā, aquæ partes quindecim misceto ad lentum ignem spumam auferendo tandiu vt permisceantur adinuicem. Quia vero non omnibus vna placet mixtio, consulto ægrotantis palato prædictum syrupum magis aut minus acrem efficito, plus aut minus aquæ miscens. Idem cum syrupo violarum efficies, si tibi commodum videbitur aut alijs. Quod si de viribus ægrotantis non fidas, vt solo potu perdurare possit ad crisis horam, aut & si in presenti vires constent, nihilominus times futuram imbecillitatem, aut quia homo raro habitu est, aut consuetus alioquin multum ingerere, horum vtrique talem exhibebis victum. Aquam hordei vt supra parato tandiúque hordeum coquito ut rumpatur, lintheo raro hordeum suscipito, fortiter'que exprimito, ita vt totam hordei medullam exire facias, hanc multa aqua hordei misceto vt tenuis fiat sorbitio, est cum pauco Zucaro exhibito. Syrupi acetosi acris si tantum misceas vt aliquid acetosi habeat iam dicta sorbitio, facias'que vt modicum bulliat, optimum cibum huic febri efficies. Idem cum pru

decoctum prunorum.

potus acetosus.

Ptisanæ tenuis sorbitio.

Acris ptisanæ sorbitio

nis efficere possis. Micam panis mediocris ætatis à furfure sinceri ad paruulas partes radito, in aquam infundito frigidam, digitisque confricato terque aquam innouato, deinde coquito in aqua hordei violacea, cumque vtrunque permixtum fuerit, infunde succi granatorum acetosorum & Zucari singulorum tantum vt ægrotantis palato placeat, iterum coquito vt misceantur, fac valde tenuem sorbitionem multa aqua panem diluens, quã ijs dabis, quorum virtutes ob imbecillitatem parum vrgent. Hip. de curatione huius febris agens, aquæ mulsæ coctæ et aquosæ quantũ æger voluerit concedit. Hócque potu ægrotantem ad crisis horam ducit. quod manifestum est ex eo quod in hunc modum scribit. Et sorbitiones inquit nisi dies iudicatorij transierint non dabis. Sub audies cum Gal. si virtus ægrotantis robusta esse videatur. Zucarum vsum mellis præstat. Efficaciorem tamen virtutem mel habet. Zucarum vt pote temperatius ad causi curationẽ magis probandum. Antiquorum ætas eo carebat, & si sacharum tunc non deesset.

Panatella acetosa.

CAP. II.

QVod si causus à materia pituitosa salsa fuerit, crassiori victu alendi sunt ægrotantes. Nempe sorbitione tenui. Potus non erit ijs victus idoneus. Quare sorbitionibus in hunc modum, vteris, si virium adfuerit robur, habitusque talis sit ut non facile corpus effluat, parcéque sit assuetus viuere secunda valitudine. Sorbitionem ex hordei medulla cum syrupo acetoso eo quo supra dictum est modo præparato. Acrem ptisanæ sorbitionem appellauimus, ad

ministra vbi oportet. Eam insuper sorbitionem quam ex mica panis ter loti scripsimus, acetosam panatellam diximus præparabis, addito loco succi granatorum syrupo acetoso acri, hunc dico qui plus aceti recipit. Hunc victum intellige ijs conuenire qui maligno causo non laborãt. Discernitur cum malignus est, ex assidua extremorum frigiditate, de ijs infra agemus. Iis ergo qui causo à pituita salsa laborant, sorbitionem dato ex hordeo aut pane modo prædicto bona syrupi acetosi quantitate iniecta, ita vt palato effatu dignam offerat repræsentationem. Quod si facultas imbecillis fuerit, aut futuræ imbecillitatis suspitionem præstet corporis habitus, aut consuetudo, aut si aluus ab initio liquida fuerit corpus absumens (hoc enim symptomate solo posito, virtutem multum vrgere supra diximus) talis cómodus fuerit victus. Pullum gallinaceum qui matrem insequitur pinguem coquito ad lentum ignem recenti testa, prunorum & hordei præparati quantum singulorum manu capi possit, aquam sufficientem infundito, mali deinde granati accidi grana quantum manu capere possis proijce media hora antequam pullum ab igne moueas. Sunt qui tandiu pullum ad ignem coquunt donec hordeum rumpatur. Huius decocti portionem seruato vt ægrotanti exhibeas, cum tibi opportunum videbitur, ex residuo decocto cum pane in aqua frigida ter infuso, sorbitionem facito. Dato quando oportet ei cui aluus liquida fuerit. Cæterum scire oportet causum cum à salsa pituita generatur, si cum aluo ab initio perturbata fiat vires naturæ multum absumere. Qua propter victu

Decoctum pulli ex granato aceto so.

crassiori eos indigere qui huiusmodi causo laborãt. Præsertim si habitu sint raro & assueti multum ædere. Natura si quidem huiusmodi causo laborantis symptomatum prauitate, & humoris cõtumaci resistentia coctrici facultati repugnantis, exoluitur.

CAP. III.

HIP. iubet attractorias exhiberi sorbitiones. Sed quid sibi Hip. velit per illud verbum attractorias dicere non facile est. Præcipue cum Gal. verbum absque interpretatione reliquerit. Græce ita habet ῥοφήματα ἐπισπαστικὰ δίδου. Hoc est sorbitiones super attractorias dato. ἐπισπαστικὰ composita dictio est à præpositione ἐπὶ cuius officium est dictionis significato aliquando aliquid addere. Vt Hipp. infra ἢν δὲ λαπαρῷ ἐόντι καῦσος ἐπιγένηται, hoc est causus superueniat. Aliquando idem valet quod apud latinos. In. Vt cum idem ait τὸ ἔξωθεν πνεῦμα ἐπάγεσθαι, hoc est exteriorem spiritũ inducere. Vul. Hip. vt sorbitiones attrahenti pharmaco misceamus. Pharmacum enim sorbitione mixtum, melius nuncupare non potuit, nomen ab vtroque simplici compositum efficiens, nempe sorbitiones attractorias. Quod autem antiquioribus consuetum fuerit medicis, in sorbitionibus pharmaca miscere, manifestũ est ei qui antiquorum scripta euoluerit. Ipse etiam Gal. in phlegmonis iocineris curatione, cortice helebori in ptisana, mercuriali, & philicula vtitur. Id'que non vulgare præceptum est in vehementi febre aut maligna. Nempe cum purgatio admodum sit necessaria, timeat'que medicus inualidis

ægrotantis viribus. Consulte aget vt cum pharmaco vti velit, id simul cum sorbitione ægrotanti offerat. Sic enim pharmacum minus commouebit, minus'que cal faciet & exiccabit, quæ omnia in vehementi febre aut maligna ne fiant, diligenter obseruandum est. Pharmacum præterea ita exhibitũ vires naturæ minus exoluit. In maligna febre aut pestilenti optimus fuerit exhibendi pharmaci modus, quo nullus alius certior, minoríque humani generis damno. Id ita esse intelliges si Gal. sententiæ sis memor, in expositione Aphorsmi quibuscunque crisis fit, vbi plures iudicationes ad bonũ terminari vidisse ait. Nouimus inquit ipse plures esse ex ægrotis sanatos quàm mortuos nisi pestilens sit constitutio. In iudicatione autem natura tristantes chimos ad expulsionem commouet. In qua quidem commotione natura solet in pluribus victrix exire, nisi cum pestilens morbus fuerit. Cauenda ergo sunt, quæ humorem pestilentem pura pharmaca commoueant, offerre. Ab vtroque enim & à pestilenti humore & à pharmaco ægrotantis robur absumitur. Quod si pharmacum cum sorbitione misceas, ab vtriusque ictu naturam magis seruabis, eique simul materiam vnde sibi arma ministret suppeditabis. Prudentissime igitur Hippoc. in maligni causi curatione sorbitiones attractorias ministrare iubet. Quod autem in causi curatione pharmacum purgans aliquando exhibere oporteat, ipsemet docuit eodem libro in hæc verba. Si liquidam aluum habenti causus super veniat, si tibi videatur purgatio necessaria, intra dies tres non purgabis, sed quarto. Ser= 4. de ratione victus.

monis consequentia huc me adduxit vt de administrandi pharmaci modo dissererem, alibi enim de pharmacorum administrãdorum methodo latius agemus, vbi quale, quantum, quando, & quibus exhiberi debeat pharmacum, inuestigabimus.

CAP. IIII.

NVnc ad sermonem reuertamus. E' nostris medicis nonnulli medullam cucumeris, citruli, alij lactucam, portulacam, alij lac amigdalarum, aliqui scariolam cum aceto aut agresta vel succo berberorum aut acetositate citri vtrique causo concedunt. Sed quantum astringentia aduersa sunt legitimo causo, tantum frigida potentia, notho. Quod ex hoc maxime intelliges. Legitimus causus fluxu sanguinis aut sudore soluitur, vt ab Hip. discimus. quæ autem potentia nimis frigida sunt, tum ea quæ astringunt, vtriꝗ obstant terminationi. Quod notho seu non vero causo non conueniant ea quæ potentia valde sunt frigida, ratione manifestum fit. Humor si quidem huius febris difficilis coctionis est, id'que maxime ob id quod frigida glutinosa & crassa pituita sit, quæ hanc febrem generat. Quapropter abcessu solet hæc febris terminari, vt à Gal. scriptum est. Quare omnia quæ potentia frigida valde sunt huic febri incommoda esse qui vis percipiat. Quod rasis in hæc verba asseruit. Et pone inquit in cibarijs scilicet in non pura, res calefacientes & subtiliantes. Quid igitur prudens lector de illo sentis, qui camphoram cum aqua rosarum dissoluẽs, laborãti causo exhibet. At quæ astringunt nisi symptomatis gratia

4. de rõne victus.

In 4. de rõne victus

16. continẽtis.

exhibita, vtrunque causum perniciosum aut discritum efficiunt. De causi vtraque specie satis sint dicta. Vtriusque synochi victus forma, similis est ei, quam causo conuenire diximus.

CAP. V.

CVm enim vterque synochus febris sit nullas habens intermissiones, indicat ægrotantem potu fore nutriendum. Et quia hæc febris raro accidit cum imbecilli facultate, aut calido & sicco temperamento, neque habitu raro, ob id solum in hac febre de consuetudine quæremus. quem ergo ægrotantem parce viuere bona valitudine scias, solo potu nutrire oportet. Aquam igitur hordei vt supra parato, cuius accipito partes decem, syrupi acetosi acrioris partem vnam, misceto simul ad lentum ignem, dato vbi oportet. Bonum est hordeum à primo solum exuere cortice, nam ab vtroq; exutum, magis humectat & minus absterget. Ad synochũ absque putredine. Anteq̃ aquam hordei ab igne amoueris hora vna. Mali granati acidi grana secundum quantitatem hordei proijcito, Zucari purissimi quantum satis, coquito spumam auferendo, ad lentũ ignem, exhibeto ægrotanti q̃n oportuerit. Commodissimus huic febri est potus. Ad putrescentẽ synochũ. Hordeum ablato vno cortice coquito in aqua vt dictũ est, antequam ab igne amoueas hora vna, politrici, aut capillorum veneris non vetustioris uno mense acetosæ herbæ proijcito singulorũ quantũ manu capi possit. Trãsacta hora, remoue hærbas quas filo collegeris & proijcito syrupi acetosi acrioris q̃tũ videbitur, dato vbi opor

potus acetosus

Potus ex malo granato.

Cibus conueniens putrescenti synocho.

Aqua hordei cum virtute capillorum veneris

tet, postquam ad lentum ignem probe mixta fuerint. Ob seruandum tamen est, ante missionem sanguinis aut ven tris subductionem aut clisterium bono temporis interuallo exhibendam non esse aquam hordei vt discimus ab Hip. Nõ prætermittendũ est, synochum à putredine paulo solidiorem exigere victum. Nam dispositio ex corruptione humorum, indicat ciborum adiectionem vt supra ostendimus de mente Gal. in expositione illius quibus semel aut bis. Natura insuper citius labitur à febre & à putredine simul inuadentibus quàm ex sola febre. Sorbitiunculam igitur tenuem ex hordeo aut pa ne parato in hunc modum. Aquam hordei cum politrico & acetosa coctam parato, in eius portionem dissolue micã panis per horam in aqua endibiæ infusi. Coquito ad lentum ignem cunque permixta fuerint infunde syrupi acetosi acrioris quantum in gustatu aperte sentiatur, iterum modicum coquito miscendo. Potus sit aqua hordei cum malo granato acido cocta, in synocho absq; putredine in eo vero qui cũ putredine est aqua hordei cum politrico & acetosa cocta.

1. de rõne victus.

1. Aphõr.

Panatella cum virtute politrici

CAP. VI.

NOstri iuniores medici, cibos ex cucurbitis spinachis lactucis portulacæ virgulis, citruli medulla conficiunt. Hos victus in continentibus febribus reprobandos fore, vna ratione ante ostendi. Heæ quidem febres cum valde acute sint, natura eas diu ferre non potest, cito enim fit crisis qua aut natura vincit, aut vincitur. Vt scripsit Gal. primo de glaucone. Sùmma ergo diligentia curare medicus debet, ne aut

humores

humores aut corporis vias ad crisim indisponat. Victus autem ex frigidis herbis potius efficere hoc valent quàm humoris igneam qualitatem refrangere, aut sitim ægrotantis sedare, quæ alioquin magna aquæ frigidæ quantitate vno haustu ebibita vix sedatur. In continentibus igitur febribus verendum est ne victus ex huiusmodi valde refrigerantibus hærbis aut mortem aut prauam crisim inducant, ad fluxum sanguinis è naribus & ad sudores corpus laborantis, & humores simul indisponendo. Est qui iuiuuas, & lentes cum aceto & cum granatis & sumach ijs concedant quando intentio esset ingrossare sanguinem, aut quando natura esset nimis mollis. Et subdit & si sit aliquod horum per quæ constrictio timeatur scilicet ne ventrem stringat, frangatur eius constrictio cum siracost, & prunis & cibetur tunc cum cibo facto decucurbita, & hærba acetosa. Et conuenit ollus frigidum factum de acetosa endibia & lactuca. Sed forsan quis contra hęc obijciet. quod nam magnę dignitatis commodum in continenti febre ex sanguinis ingrossatione sequitur, vt eius gratia sumach condimentis miscere ausus fuerit in synocha febre. Videtur tamen duplici de causa id concessisse, nempe aut ingrossationis, aut symptomatis gratia, vt cũ aluus liquida præter modum fuerit. An symptomatis occasione concedi debeat, prætermitto. At ingrossandi sanguinis gratia, haud quaquam rectũ esse opinor. Nã prudentis medici non videtur esse, in fluxione quæ à toto aut ab aliqua parte in aliam fit, biliosum sanguinem crassiorem reddere cum ijs, quæ valide astringunt,

ne superfluum humorem fluentem in parte aliqua magis fortasse momentanea detineamus. Aut ne id quod in parte affecta est, magis impingamus. In synocha vero febre sanguis feruens in altum tumet, more aquae ebulientis in olla. Huius feruorem igne non remoto cõpesces. si igneam qualitatem ab aqua remittas, id efficies aut aqua frigida iniecta, aut si os testae discooperias vt aëris refrigeriũ capiat. Sic in febre synocha aut potu aquae frigidae efferuentem humorẽ compescere oportet. Aut conandum est, vt per corporis poros ebuliẽtes chymi libere transpirare possint. Haec enim via ad salutem certior est. Nam febris remissio ex efferuentium humorum transpiratione fit. Quae duplici arte fieri potest, nempe cum aut pori totius aperiuntur, aut humores aequaliter minuuntur. Vt à Gal. discimus octauo et nono de methodo medẽdi. Astringentia autem ex quibus vnũ viribus valens rhus est, quã recentiores sumach appellãt, tantũ abest vt per spirationes liberas efficiãt, vt eas prohibeãt corpora constringendo. Nam è triplici causa prohibitę transpirationis vna constrictio corporũ est. Ex ijs igitur manifestũ est, rhus & caetera astringentia nimis esse continuis febribus infesta, eo quod trãspirationes quę remissionis febris sunt causa prohibeãt. Symptomatis gratia vti possumus ijs quae potentia mediocria sunt. Frigidę potus exhiberi potest vtrique synocho, sed signum coctionis in eo qui cum putredine est obseruare oportet. Exhibitio tamen frigidę vno haustu, disputationis nostrae egreditur limites, non enim vt potus sed vt medicinalis potio offertur.

CAP. VII.

FEbris tertiana continua dupliciter intermittit, aut in intermiſſione quieſcunt ſymptomata, aut ſolum remittuntur. Sit'que primum continua tertiana in cuius remiſſione non omnino quieſcunt ſymptomata. Hæc dico capitis dolor, vigilia, ſitis magna, delirium, grauiter ferre morbum & reliqua. Facultate robuſta exiſtente, habitu tali vt non facile corpus inhalitus digeratur, conſuetus'que ſit parce viuere, acri ptiſanæ ſorbitione vtitor, eo quo ſupra parauimus modo. Febricitanti panis offam infuſi in aqua endibiæ & ſucco granati accidi, ſimul'que decem, aut duodecim pruna in aqua tantum percocta, modico Zucari ſuper aſperſo ſuper exhibeto.

Præterea prunorum acetoſorum ad dulcorem accedentium quantum manu capi poſſit, borraginis recentis à vermibus nõ tactæ eadem menſura, hepaticæ quã lichenas Dioſcorides appellat, luſitani hepatega, angli liuer urth bis tantum, hordei ab vtroque cortice exuti, ter, mundato diligenter à terreſtri excremento hærbam, coquitóque omnia cum pullis duobus tenere ętatis craſſis admodum, tandiu vt hordeum rũpatur, dato vbi oportet. Conuenientiſſimus hic cibus fuerit ad omnes febres quæ à putreſcente bile ortum habent. Febrilem calorem reprimit, qui in iocinere eſt, facultatem coctricem iuuat. Quod ſi facultas imbecillis fuerit, aut habitus rarus, aut multo cibo ęger aſſuetus, craſſiorẽ ſorbitionẽ hordeo expreſſo multoties in prædictũ ius efficito. Aut medulla panis infuſi in aqua endibiæ in idẽ

Sorbitio ex hepatica.

pulli decoctum dissoluta, sorbitionem conficies magis nutrientem.

Quod si in intermissionibus quiescunt omnino symptomata, virtute robusta existente, & habitu duræ resolutionis, assuetus'que sit parce viuere, altera duarum sorbitionum pulli dicto modo temperati febricitantem alito. Panem'que in aqua endibiæ & succo granatorum infusum super exhibeto. Quod si facultas debilis, aut habitus rarus facilis resolutionis, aut multũ ędere assuetus sit, febricitantem altera sorbitionum iam dictarũ & pulli extremitatibus alito, pane similiter infuso.

Quod si febris continua nulla quidem aut parua afferat symptomata, virtute, habitu, et assuetudine vt supra habentibus simili victu hominem nutries.

Quod si virtus imbecillis fuerit, aut reliquis crassiorem victum indicantibus, pulli etiam carnes febricitanti ministrato. In tertiana igitur continua quæ debilia affert symptomata virtute robusta existente, habitu & assuetudine vt supra habentibus, sorbitione vtere in hunc modum.

Sorbitio ex lupulis

Hordei ab vno cortice exuti mañ. tres, capillorum veneris, cimarum lupulorum, passularum enucleatarum, ana quantum manu capi possit, coquantur insimul cum pulla crassa quæ nuper matrem reliquerit, hora vna antequam ab igne amoueas, immitte aceti albi quantum satis sit, vt acetum gustatui se offerat, huius partem seruato vt bibat inclinante febre, sorbitionem ex reliquo cum pane conficito.

Quod si virtus imbecillis fuerit aut habitus & con-

ſuetudo ſimiliter indicent, extremitates pullæ quæ tenere ſunt magis, inualido ægrotanti exhibeto. Huic victus conueniens forma, per ea quę comedũtur eſt. Semper quoque à tenui iure incipiendum eſt, deinde temporis interuallo ſorbitionem miniſtrato. Contingit aliquando febre iam inclinante, iterum à quodam inflãmante calore febricitantes rurſus moleſtari. Quod duplici de cauſa contingit, aut quia intempeſtiue eis oblatus eſt cibus, aut cum in victu erratum eſt.

CAP. VIII.

SVnt qui aſſa gallinaceorũ hepata poſt ſorbitiones laborantibus febre continua exhibent, quod minime probo. Nam cibus longum in laborantium ventriculis immoratur. quod nõ parua occaſio eſt vt ob id corrũpatur. Præterea hepar aſſum inter cibos exiccantes numerandum eſt, quapropter febricitanti non conuenit. Cuius argumentum eſt ſitis quam excitat. Eos qui in continuis febribus, lactucis, & huiuſmodi refrigerantibus hærbis vtuntur, ante morbi iudicationem, ſupra oſtendimus in damnum ægrotantium errare. Sed non erit ab re, recenſere victum quo vtitur quidam è noſtris recentioribus, nam ex hoc aliquod capiet lector cõmodum. In die remiſſionis febricitantem pulla alterata (vt ille ait) nutrit, ante vero exacerbationem et in febris inclinatione farre & lactucis, qui valde diſſident ab inuicem victus, & qualitate & ſubſtantia. Nutrimẽtum inſuper quod ex pulla habetur multum eſt, paruum vero quod lactucæ præſtant. Aquoſum nanque ſanguinem generant excrementis abundantẽ, quapropter cum in ſi

gnis sit inter eos differentia, magna fiet vtique mutatio cum ab vno ad alium transitus fiat. Stāte autem eadem morbi conditione mutationem in victu faciendam non esse supra ostēdimus de mente Hip. Vbi Gal. citauimus dicentem à morbi principio ad statum vsque eadem victus spetie alendum esse febricitantem. Quo in loco cautum medicum reddit, vt tunc insignes mutationes caueat. Nōne melius esse iudicas si pulla ægrotantem alere illi mens erat, vt ante exacerbationem & in febris inclinatione, sorbitione ex pullæ decocto vteretur. Multo si quidem magis inter se conueniunt pulla, & sorbitio ex eius decocto, quàm pulla cum lactuca & farre, facilioris præterea sorbitio coctionis est. Quod si cibū minus nutrientem se uelle exhibere dicas, pullam quare exhibuit die tranquiliori rogabit quis, quę multo magis nutrit quàm eius sorbitio. Non enim prudentis medici est, ægrotantem vice vna implere, vt cū vice alia parū exhibuerit satisfaciat. Multo salubrius ægrotanti esset, id in partes secare, vt natura nullo ex mutatione afficiatur grauamine. Si ergo pulla recte in die tranquillo exhibetur, facta ex ea sorbitio modo quem diximus salubrior erit profectò ægrotāti ante exacerbationem quàm far & lactucæ. Multo præterea commodius fuerit inclinante febre ius pullæ dicto modo confectum exhibere, deinde temporis interuallo sorbitione vti, quàm far & lactucas in cibum ministrare. Oportet ergo non solū simili forma victus sed similis substantiæ cibarijs febricitantem quo ad possis, stante eadem morbi conditione nutrias.

CAP. IX.

Febris continua à pituita ortum habens si cũ virtute robusta fuerit, habitu & assuetudine vt supra habentibus, hũc victum exposcit. Hordei ab vno cortice exuti quãtum manu capi possit, passularum enucleatarum & petroselini tantum, thymi partem mediam, coquito insimul cum pulla crassa modicum, antequam ab igne amoueas immittito capillorum veneris recentis aut politrici mañ. vnum. Ligato insimul hærbas, coctas'que abstrahe. Proijcito aceti albi quantũ satis vt in gustatu repræsentetur. Denuo coquito quousque permisceantur. Fac sorbitionem ex pane, vtere & iure si videbitur. Ex pullæ carnibus hora quietiori dato febricitanti quod tenerrimum sit. Meminisse oportet in continuis febribus vbi suspitio est de pororum obstructione ante totius euacuationem incommoda esse quæcunque aperiunt & incidunt. Sorbitio ex petroselino

Cicerum facilis coctionis mañ. vnũ infundito in modicum aquæ endibi;, testã tota nocte in calido cinere seruato. Mane in aqua è fonte sufficienti bulliant, adiectis hordei ab vno cortice exuti mañ. tribus, passularũ enucleatarum manip. vno, cortice radicis cichorij vno, coquantur insimul cum pulla & antequam ab igne amoueas, petroselini mañ. semissem addito, & parũ aceti, fac sorbitionem vt supra. Extremitates pullæ ægrotanti dato. Sorbitio ex radice cichorii.

Quod si imbecillis æger fuerit, permitte ei fasianum ædere, optima si quidem ijs caro est. Bonum est vt cibum assumpturus æger, syrupi acetosi acrioris coclea

ria duo, melis rosati colati vnum, mixta ante sorbeat. Aquam decoctam cum hordeo & semine fœniculi bibant. Verum de potu abunde dictum est.

CAP. X.

IN febre phlegmatica quam arabes laticam dicũt aut latentem, humidi natiui multum exoluitur, cibũ ideo multi nutrimenti dare oportet. Corpus humiditate madefaciente & laxante, affectũ est ab humore frigido & humido, sed ob putredinem calido effecto. Vnde non aliter ab hac febre corpus, quàm pars aliqua ab occursu aquæ ebullientis afficitur. Vnde ebulientem hanc febrem nonnulli dixere. Cibum conuenientem ijs qui hac detinentur febre actum frigidum & siccum esse oportet, potentia autem humidum. Hoc autem est, vt humiditatem madefacientem exiccet, & vt corpus ab humido innato exolutum reficere valeat, & vt laxa mẽbra induret. Hoc autem difficile est in simplicibus inuenire. Quapropter sorbitionem ijs ita parabis. Phasianum iuuenem aut perdicem aut hœdum (heç enim ex carnibus optimæ ijs sunt) coquito cum radicibus cichorij, petroselini, passulis, tenerrimis lupulorum cimis, & corticibus citri, cauliculis altilis cardui, quem hispani cardo vulgariter appellant, quo vbique locorum ad finẽ menseç vtimur, insimul coquantur ex iure fac sorbitionẽ cum pane. Dictam hærbam quam nonnulli scolimon, esse à Dioscoride appellatam opinantur, cum capo aut pulla si simul coquas, si phasiani aut perdicis copia

Sorbitio ex carduo

non detur idoneum illis parabis cibum. Carduus humiditatem madefacientem, laxantem maxime remouet. Mēbrum laxum indurat, idque citra humidi natiui absumptionem. Ad hæc aperit, & vrinam prouocat, & in altum penetrat, quod ad huius febris sanationem expetendum est. Humor si quidem ad minimas est corporis particulas dispersus. Vnde crassam vrinam copiosamque & sudorem duo esse huius febris remedia ratione quis arbitrabitur. Tres ergo insimul coquens cauliculos, cardui sorbitionem facito, quam febricitanti ministrabis vbi oportet. Ex carnibus id quod maxime tenerum sit & facile ab ægrotante coqui possit exhibeto. Nec prætermittendum, solam hanc febrem ex humoralibus indigere victu qui maxime virtutem corporis augere possit. More hecticæ febris cui valde similatur. In illa enim caliditas præter naturam totum iam occupans, naturalis similitudinem acquisiuit. Sic humor huius febris per totum ad minimas vsque partes dispersus more naturalis humiditatis, natura eius coctionem, separationem aut expulsionem non curat. Sed eum ob mixtionem ad minima cum naturali humiditate seruat. Vnde hos nec euacuatione ventris, aut fluxu sanguinis sanatos videmus. Quin immo si sponte aut à medico imperito aluus moueatur, peiores reddūtur. Quod si aliquandiu manet, euacuato bono simul cum malo separatione non facta, moriuntur. Quapropter scopus curationis in ijs fuerit, eos more æthici nutrire. Oportet enim totum id quod in ijs de humiditatibus est superfluis, sensim absumere, ciboque salubriores induce

Quos præbeat vsus carduus

re, qualitatésque humoris quibus corpus affectum est, cõtrarijs successiue euertere. Et quia huius febris curatio à victu vt diximus maxime dependet, libet sermonẽ longiorem facere. Iis qui cum imbecillitate virium hac febre detinentur hunc ministrato cibum.

Perdicis secundum complementum assæ succum ad æquales portiones cum vino albo decoctionis radicum plantaginis misceto, febricitanti ieiuno stomacho exhibeto. Fac vt modicum sudet. Idem è phasiano efficere possis. Quod si carnes perdicis aut phasiani digerere non valeat, ipsarum succus postquam complete assæ fuerint diligenter per linteum expressus, cum pane ministretur aut cum modico vini albi misceatur & propinetur. Sed diligenter obseruare oportet vt vinum sit maxime imbecille quod ijs propinaueris, nam alias non paruę ijs lęsioni erit. Nec silentio prętereundum esse, ijs qui ita laborant commodo esse in edulijs sorbitionibus'ue præsertim ijs qui assueti sunt allium vt simul bulliat immittere. Nam prærogatiuam habet in roborando naturales facultates, corrigendóque damna quæ in ijs à duarum qualitatum immoderantia fiunt, nempe à frigore & humiditate. Putridi insuper humoris cum per totum spargitur, corpus vitia corrigit. Habet enim præter hæc facultatem quà à centro ad circunferentiam pellit. Tria hæc quę allium habere diximus ex Dioscoride licet colligere qui de eo ita scribit. Potum cum origani decocto pediculos & lendes enecat. Præterea magnæ & allio vtilitates contra aquarum mutationes. Demum in fine dixit vtile hydropicis, ad quem quidem morbum hæc fe-

bris corpus non parum disponit. Verumtamen propter calorem & eius acrimoniã modicũ in sorbitionibus miscendum est. Macerare tamen prius oportebit in succo hærbæ acetosæ. Potus ijs conueniens sit vinum album pauciferum defœcatum clarum cuius sumito partes duas succi granatorum medij saporis partis vnius semissem, aquæ in qua decocta est capillaris hærba recens aut politricum vnam, misceto. Conuenientissimus huiusmodi ijs potus fuerit. Nec prætermittendum est indicæ radicis decoctum maximo ijs fore remedio. Cuius si detur copia, vnciam vnam in lupinares sed multo subtiliores formulas scissam, in decẽ libris aquæ in qua nocte ante eam maceraueris coquito. Sequenti die ad lentum ignem ad medias ebullire permittito. Propinato in aurora quantum vno haustu bibere possit calidũ, sed ægrotantis corpus prius fricare lintheo aspero oportet. A' potu vestimentis cooperiatur & sudet quantum pro virium ratione. Cubiculum vbi ægrotans iacet, perpetuo calidum vndique clausum seruare oportet. Nullus alter potus melius sudores ciet. Partes insuper ab humore assiduo laxas roborat, indurat, sed ijs qui iam sunt imbecilles caute exhibendus est, quia plus iusto exiccat. Quare ijs qui imbecilliter habent non inutile fuerit, succi granatorum medij saporis partem vnam miscere tribus decocti, simul'que propinare. Summa diligentia obseruandum est ne ijs aluus liquida fiat, quin potius huius contrarium, nempe astrictam aluum efficere conamur ijs quæ poros cutis aperiunt & sudores mouent.

Decoctum indicæ radicis

CAP. XI.

Tertiana simplex pura hunc exigit victum. Paretur crassa sorbitio ex hepatica altero duorum modorum quos supra tradidimus. Ius dato vt bibat in febris inclinatione, ex reliquo fac sorbitionem, qua vtitor ante aduentum paroxismi & cessante febre. Carnibus in die tranquillo vescatur.

Sorbitio ex cucurbita.

Pullam cum cucurbita & prunis & vua acerba coquito fac vt supra.

panis infrigidans.

Panem album trium dierum in subtiles partes planas diuidito & in aquam endibiæ infundito, acidum'que succum arantij desuper exprimito, Zucarum deinde radito, tantum vt dulcor & acetositas manifeste ingustatu sentiantur. Pane in hunc modum vtatur die tranquillo bis aut ter & in maxima inclinatione paroxismi ante sorbitionem. Magna huic cibo vis est, in refrangendo biliosi humoris acuitatem. Ventriculi præterea & iocineris immoderatum ardorem extinguit. Robur eis addit. Plures à tertianis liberari iuuenes & adultiores ętate hoc cibo vidi, absque pharmaco aut alia potione. Oportet tamen diligenter aduertere ne adsit pororum obstructio, aut condensatio, aut corporum constrictio. Quapropter in continuis febribus à bile ortum habẽtibus in quibus de pororum apertione soliciti sumus, ante totius euacuationem exhibendus non est. À venæ sectione in continuis febribus secure exhibebitur.

Duplici tertianæ victus conueniens

Duplex tertiana tenui eo magis victu ĩdiget, q̃tum ĩ ea minus quiescit natura. Sorbitione cucurbitæ aut hepaticæ vtere. À carnibus nisi sit imbecillis ægrotans tem-

perandum est. Aut nisi multo sit cibo assuetus. Potus vtrique febri conueniens aqua hordei est.

Tertiana simplex nō pura ab humore bilioso cum crasso phlegmate mixto ortū habens quem recentiores choleram vitelinam dicūt, hunc exposcit victum. Thymi petroselini passularum enucleatarum singulorum maň. vnū hordei ab vno cortice exuti tres, coquito cum capo aut pulla gallinacea herbas iam coctas extrahito, immittitóque aceti albi quantum satis. Parum coquito denuo quousque permixta sint. Dato vt bibat inclinante febre ex residuo fac sorbitionem. Qua vti poterit cessante febre & ante aduentum paroxismi, horis septē ante accessionem, carnibus vesci poterit in die quietis. Pisciculos saxatiles in aqua coquito cum saturegia thymo sale & aceto & modicum purissimi olei. Facilis coctionis cibus est. Vētriculi appetentiam excitat, quæ in hac febre plurimum expetenda sunt.

Tertianæ non puræ competens victus.

Sorbitio cū aceto

Pisces petrosi

Olei purissimi ex immatura oliua, partem vnam, aceti albi duas, permisceto. Panem infundito febricitanti exhibeto. quod si olei immaturi copia nō detur, hispano vtere. Mixtio ex oleo & aceto cum humana maxime conuenit natura. Quandoquidem ex contrarijs vtrisque qualitatibus constat. Miscentur enim calidum frigidum humidum & siccum. Ventriculum roborat. Hepar & lienem. Distributionem adiuuat. Coctionem & appetentiam excitat. Aperit, incidit, humectat, refrigerat. Quod si piperis grosso modo contusi parum addas, frigido ventriculo pituitoso conferet. Quod euenire in hac febre multoties solet. Rationalem merito

Mixtio ex oleo & aceto.

quis mixtionem dixerit. Quæ febri à pituita à bile & ab attrabile conuenit. Quod si oleo & aceto parum aquæ misceas sitim sedabit.

Cibus hærbaceus.

Alium alexandri hęrbę cauliculos, laueris super aquas crescẽtis, foliorum rafani, violarum borraginis, lactucę, singulorum man. vnum coquito in aqua quousque per cocta sint. Hęrbas exprimito quantum possis, cultellóq; ad minimas partes incidito, addito olei purissimi, salis & oximelitis acris singulorum quantum sit satis. Cũ pane vtitor. Mundificat cibus hic ventrem, vtranq; euacuationem promouet.

Hærbaceus cibus magis nutriẽs

Quod si post expressionem hærbarum & earundem incisionem cum pinguitudine iuris capi aut pullæ hærbas coquas adiecto oximelite, magis nutrientem cibum efficias.

Quod si bilis permixta tenui humiditati aquosæ fuerit, febris'que fiat ex cholera citrina. Vtere sorbitione ex cucurbita aut crassa sorbitione ex hepatica, adiecto malo granato acido hora vna antequam ab igne amoueas. Dato ius in febris inclinatione, ex residuo fac sorbitionem. Vtere & pane infrigidante, modico cinamomi adiecto si opus fuerit. Lentes hispanas coquito in aqua cum petroselino, coriandro viridi, oleo sale & aceto & modico croci. Vtere decocto cum pane. Cibus hic frigidus & aliqualiter exiccans est. Hispanis multum in vsu est. Febricitantibus quibuscunq; sorbitionẽ ex lentibus exhibent, exceptis quartana laborantibus. Quos & si nulla ob id laude dignos esse existimem, ita eos non absque erroris crimine, qui lentes o=

Sorbitio ex hepatica cũ malo granato.

Sorbitio ex lentibus

mni prohibent ęgrotanti. Id ex Gal. asserentes qui eas cibum hominum non esse dixerit, cum de pleuritide ageret in qua lentes prohibuit. Sed relicta pleuritide febricitanti febre tertiana à cholera citrina certe conueniet. Si febris effectricem causam & qualitatem in partibus derelictam consideres. Cholera citrina humor calidus & tenuis substantię est, maxime omnium humorũ penetrans. Ius lentium contrarias operatur qualitates nam refrigerandi & inspissandi vim habet. Cholera insuper citrina eam in quam incidit partem totã eius acuta penetratione macerat. Ius lentium non solũ partem cogit vt minus prompte penetrationi fiat peruia, verũ id quod humidũ est tollit æquali sua siccitate. Iis pręterea qui ex hac febre immoderate sudant & non ob id alleuiantur nõ parum cibus ex lentibus confert. Q đ si adhuc lentes atiem oculorum obtundere & ægre concoqui & somnia tumultuosa excitare ex Dioscoride asseras. Hæc omnia lentibus non earum decocto tribuit. Hæc damna in hispana lente non præcipimus. Stomachum male habere ex ea scripsit Dioscorides, hispana vere lens ventriculum roborat & minime inflat. Lens Itala maior & candidior est, minor vero Hispana colore ad rubeũ vergente nec tumultuosa excitat somnia vt de ea proditum est. Et si quid vitiosę qualitatis hispanã habere contendas à viridi coriandro castigatur. Vbi cunque ergo humores corporis inspissare aut corporis particulas cogere citra calfactionem mens est, ius hispanæ lentis in cibis recte porrigitur. Quod si id cum petroselino coriandro viridi, oleo aceto sale & croco pa 2. de rõne victus.

raueris, conficies cibum ad iam dicta conuenientissimum in passiuis qualitatibus temperatum, in actiuis ad frigiditatem declinantem.

Pedes vituli anteriores duos, aut arietis omnes in aqua plus satis coquito, radicum plantaginis, cichorij, petroselini, singulorum manip. vnius tertiam, hepaticæ hordei ab vno cortice exuti, prunorum & passularum singulorum vnum, addito mali granati acidi tres, ius dato vbi oportet, ex reliquo fac sorbitionem. Quod si post coctionem pedum antequam malum granatum initias herbas abstrahas, ius collans, tertiam sui partem succi acidi mali granati immittas, pane & Zucaro simul coquas, quousque permixta sint, cibum ijs valde idoneum & plurimis alijs ægrotantium parabis. Quem vt conuenientissimum memoria dignum ducito. Nam multũ nutrit, corpus refrigerat, & humectat, particulas cogit, tenues humores inspissat, bilis feruorem reprimit, ventriculum iocinerem roborat, sitim sedat.

Sorbitio ex pedibus vituli.

CAP. XII.

EX arabibus medicis sunt qui in tertiana pura à cibis in quibus est caro abstinendum esse dixerunt. Alius rectum est inquit vt in potu ei detur sicut sorbitio hordei, & etiam ei simile, nisi natura iam fuerit lenificata. Dixit alius si in vltimo diei erit tempus accessionis, non erit inquit incongruum in diei principio aquam hordei propinare ad subtilitatem declinantem. Dixit vnus è nostris, intellexerunt prædicti regulariter operando, nam coacte aliquando cibamus ante accessionem & in ipsa. Dixit infra hic idem vir

aqua tamen carnis in ijs febribus prohibenda est quantum possibile fuerit. Si autem coacte eam exhibere debeamus, ab ea carne in frusta parua redacta & aquis infrigidantibus abluta sublimetur, & cum aquis infrigidātibus tribuatur. Sed opæpreciū studioso lectori erit examinare, an dicti medici rationabiliter vereantur, carnes nedum auium paruarum exhibere vsque ad inclinationem vniuersalem febris. Et si quidem has in die accessionis prohibent, recte agere ita consulentes arbitror. Quod si nec in die quietis asserant, audire quibus innituntur rationibus oportet. Tertianam puram ex Hip. asserunt intra septem periodos iudicari, hos dies tredecim continere, terminum vero acutarum quattuordecim esse. Omni autem morbo intra quattuordecim dies iudicādo, tenuis victus exhiberi debet. Vt supra ostensum est. Carnes igitur nullæ dandę sunt, quia tenuis victus limites transcendunt. Præterea in ea febre bilis vtpote nimium acris, membra plus iusto calfacere solet, exiccare & corrodere. His vero symptomatibus ventriculū & iocinerem plus affici, eorum'que actiones imbecilliores ob id fieri certum est. Iis ergo de causis victu facilis coctionis, quique contrariæ sit qualitatis, nutrire eos oportet. Carnes vero ob id quod non facile coquātur, & qualitate humori contraria non vigeant, sed media, à ventriculo & iocinere male parantur. Vnde fit vt ad humoris morbum efficientis naturam, bona earum pars conuertatur. Danda igitur sunt quæ facillimæ sint coctionis, & quæ humori qualitatibus contrarijs vigeant. Hæc non in carnibus, Sed in hærbis, fructi-

bus, ſeminibus, inuenire eſt. Vt in lactuca, endibia, portulaca, cucurbita, malo granato, arantio, hordeo, prunis & ſimilibus. Has & ſimiles non contemnendas rationes aſſignabunt, qui in tertiana pura die quietis à carnibus quibuſcunque ægrotantes prohibent. Sed nos qui in ſupradictis pullum gallinaceum vnum aut duos parari iuſſimus cum hordeo, violis, endibia, hepatica, prunis, adiecto ſucco mali granati acidi. Conſuluimus'que vt hoc iure in febris inclinatione febricitans vteretur, poſitóque temporis interuallo ſorbitione ex pane in aqua endibiæ hora vna infuſo. In die vero quietis præter ius & ſorbitionem pulli carnibus veſceretur. Et arbitramur ſic iubentes, recte ægrotantibus cõſulere. Nullum equidem alium ſalubriorem quis victũ inueniat, quiꝙ magis naturam roboret, & corpus ad ſuam temperiem efficatius, morbifica qualitate euerſa reducat. Quod ita oſtendimus. In tertiana pura duplex corpori ſiccitas aduenit, altera poſitiua (vt dicunt) qua bilis natura ſicca corpus afficit, altera ex conſumptione humiditatis naturalis à ſanguine ortum habentis. Vtrique ſiccitati ſubuenire tenetur medicus. Sed ſecundæ citius occurrere medicum poſſe, iure pulli refrigerantibus herbis temperato & ſorbitione ex eodem, quàm herbaceo quocunque cibo inde manifeſtum eſt, quod in ſanguinem bona illius cibi pars vertatur, minima ex oleribus & fructibus. Quod ſi mente concipias corporis quamuis minimę particulæ conceſſam eſſe facultatem, qua conueniens trahat & triſte eijciat, intelliges ius pulli aut eius ſorbitionem quia humanæ naturæ magis familiaris eſt,

multo magis humectare exteriores corporis et iteriores particulas. Adde quod cibus ex hærbis & oleribus cũ minime ad sanguinem laudabilem conuertatur, iocineris gibbum transmeans ad vrinam demittitur, aut in halitum euanescit. Vnde minimum est id quod conuersum in sanguinem humectare singulas corporis particulas possit. Quare si vtrique velimus obstare siccitati, non cibum ex hærbis solum, aut fructibus, exhibebimus, sed cum ijs simul miscebimus quæ bonum præbeãt alimentum, indigenti naturæ opem ferens. Per hoc enim herbarum facultates efficatius operabũtur, cum ad minimas ita corporis particulas deferantur. Quantum autem facilis coctionis sint, ius pulli aut eius sorbitio constat. Ad hæc, in inclinatione paroxismi & ante accessionem, ex infrigidantibus hærbis cibis alendos ob id nõ esse febricitantes opinor, quod illic febrilem caliditatẽ intropellant, hic expulsionem naturæ retardent. Quo in tempore infrigidantia & corpus constringentia ministranda non sunt. Sed potius quæ à centro ad circunferentiam educant. Vt naturæ opus immittemur regulariter agentis. Hoc discimus à Gal. octauo de Methodo qui à balneo ægrotanti ante accessionem aquam in qua apium incoctum erat ministrauit. In die quietis pulli carnes exhibentes nihil peccabimus. Nam à paroxismo præterito & ab instãte, inter sunt horæ decem & octo quibus corporis natura à labore præterito iam quiescens, vires resumpsit vt pullum tenellum satis coctum coquere & parare possit. Superest que idem temporis interuallum, ad initium instantis paroxismi. Quo tem=

pore verendum non est, ne paroxismus cibum adhuc incoctum offendat. Quanto enim citius antecipatio fit, tanto & citius febris finit in tertiana exquisita. Adde quod cibi ex herbis & fructibus promptissimi sunt vt putredinem efferuentis humoris concipiant. Quapropter recte à medicis prohibētur in febribus horarij fructus. Aliæ rationes satis efficaces adduci possunt, ad id ostendendum. Hæc tamen sano intellectui satis sunt. Hunc dico, qui vero statim assentit, falsáque (& si magis appareât) arguit minime applaudens. Quod autem de numero dierum quibus iudicatur tertiana dictū est, nihil obstat ijs quæ diximus. Formam enim victus à constitutione morbi & à robore ægrotantis sumendam esse, ostendimus. Diximusque eum cuius virtus parum ob imbecillitatem urgeat, crassiori victu quàm morbi dispositio exposcat alendum esse. Ostendimus insuper ijs qui raro sunt habitu & humores tenues habent, & natura sunt calida & sicca ob id quod eorum corporum cito resoluuntur virtutes, crassiorem cibum ministrandū esse. Vñ manifestum est medicos qui in tertiana pura tenui victu febricitantes vtraque die nutriūt, in marasmū eos qui gracili habitu & natura calida & sicca sunt, deducere. Aut si alio sint tēperamento, ex pura notham tertianā administratione frigidarum herbarum & olerum efficere. Quorum vtrunque bonus medicus summa cauere debet deligentia, nempe vt ne morbum periculosiorem aut diuturniorem efficiat. Quod si siti vexetur ægrotans, multo sanè commodius fuerit si frigidam propines (si ea vsus fuerit) quæ multo magis

ſitim ſedabit, quàm cibus ex refrigerantibus herbis. Sed non ab re fuerit in præſenti adducere quas nugas nobiſcum agat vnus è noſtris medicus, qui cum nos cautosi tertiana pura ſimplici, ijs verbis reddidiſſet. Aqua inquit carnis in ijs febribus prohibenda eſt quantũ poſſibile fuerit. Si autem eam coacte exhibere debeamus ab ea carne infruſta parua redacta & aquis infrigidantibus abluta ſublimetur & cum aquis infrigidantibus tribuatur. Poſt hæc cum de victu continuæ colericæ agat, inquit. Ipſa enim eget ſubtiliori regimine & frigidiori quam ſua compar interpollata. Ipſe tamen in curatione vnius qui febre continua tertiana laborabat, complexione colerica, ætatis quadraginta annorum macro corpore, menſe Septembri, cum capitis dolore, et magna ſiti, delirabatque per acceſſiones, hunc tamen poſt lenitiuum ex manna ſingulis diebus intermiſſionis pulla nutriuit. Forſan aliquis in ſecunda intermiſſione pulſum magis debito proſtratum inueniſſe eum dicet. Ob id'que pullã ei dediſſe. quã tñ ea de cã non cõceſſiſſe, arguit id quod in alio ſcribit febricitante in quo nihil tale inuenit in pulſu ſignum, de quo ita ſcribit. Iuuenis erat colericæ complexionis febre continua tertiana laborabat cui pullam paruam alteratam cum lactuca ſuper aſperſo ſucco arantij exhibui. Quid nam de eo ſentiendum eſt, qui cum tenui magis victu alendos eſſe qui continua febre laborant quàm qui ſua compare interpollata ſcribat. In interpollata ab aqua carnis abſtinere iubens inquantum poſſibile fuerit, incontinua tamen ſua compare carnes pullæ febricitanti miniſtrare audet

nullo interueniente symptomate quod vires deiecerit. Turpe profectò est honesto viro contrarium quod dixerit agere. Vnum scriptis posteris mandare, aliud operibus exercere. Necesse enim est aut altero aut vtrobiq; falsus deprehendatur. Sed melius fuerit in hac re Gal. in de febribus ad glauconem vt iudicem admittere, an à carnibus auis abstineat necne, sed de ijs hactenus. Non enim id ago vt medicos carpam, quod si voluissem ampla nobis dabatur area, quæ chartam longiorem exposceret. Ob id dedita opera autorum nomina pretermissi, qui de hac re aliter senserunt. Quod si quis hoc mihi vitio vertat, cædo sentiat quiuis vt voluerit, & mihi quæ à tergo mantica est, vt suspendam æquum est cædant, aduncos quoscunque nasos. Mihi ipse viuere, & more meo agere decreui. Popularem auram & vulgi famam veritatis studio scientię que posponens, ratus cũ Gal. hac, nullam esse honestiorem nec diuiniorem possessionem.

CAP. XIII.

Febris quæ à pituita dulci ortum habet talem exigit victum. Coquito phasianum aut capũ aut pullam ijs quæ sequuntur. Petroselini, thymi, endibiæ amarę, singulorum mañ. sem ß. acetosæ mañ. vnum, berberorum tantundem, salis parum, antequam ab igne amoueas immitte capillorum veneris aut politrici mañ. vnum bulliant quousque permixta sint da ubi oportet.

Sorbitio berberorũ.

Cicerum infusorum in aqua tepida per totam noctem mañ. tres, petroselini, thymi, hordei ana mañ. vnum, radi

Exciceribus sorbitio.

tes tres cichorij coquito cum pulla crassa adiecto aceto vt supradictum est. Aceti albi partes tres, olei purissimi oliuarũ immaturi partes duas, Zucari aut mellis partem vnam, his madente vtatur pane. Mirabile est ad omnes febres quæ à pituita ortum habent. Ventriculum roborat, appetentiam excitat, omnes præterea naturales actiones adiuuat. Nec prætermittendum his vtile fore, ante cibum oximelitis coclearia duo, melis rosati colati vnum, singulis diebus deglutire ante cibum. Nam plurimum confert stomachum mundificans, & præparans ad ciborum rectam coctionem. Oxizachri rationalis mixtio.

À pituita salsa febricitantibus sorbitionẽ parato, in qua sit duarum sorbitionum facultas nẽpe hepaticæ & petroselini absque aceto. Caput arietis post decentem eius præparationem cum hordeo, uiolis, petroselino, hepatica, pulegio, thymo, passulis, prunis, radicibus cichorij, & petroselini coquito. Fac vt crebro decoctum febricitans sorbeat. Optimum ijs huiusmodi decoctum fuerit, quod nutrit, abluit, & pituitæ salsæ malitiam corrigit. Bonum est, vt ij ante cibum Zucari offam deuorent, parumque aquæ ex hordeo fœniculo dulci coctæ super bibant. Caput arietis.

Qui à pituita acida laborãt, raro febricitant. Nã pauci omnino fumi, à re acida eleuantur. Quare ad eos qui à pituita crassa & lenta febricitant sermonem conuertere commodius erit. His talem ministrabis victum. Pullam crassam aut capum coquito cum thymo hordeo passulis, vt singulorum manip. vnum, pulegij duos sumas, bulliant simul vt supra, modico sale ius parato & sorbitionem. Sorbitio ex pulegio.

Item paretur sorbitio ex furfure quam infra trademus cum de obstructione nobis sermo fuerit, quæ valenter incidit aperit & abstergit. Capparibus ciceribus radicibus vt pote nimium aperientibus in principio non vtemur, cum obstructionis suspitio est. Præstat enim iis quæ abstergunt & leniter incidunt cum cibis miscere, vt pulegium thymum & id genus alia.

CAP. XIIII.

SEd qualis victus febri quæ à pituita ortũ habet, conueniat hucusque dictum est. Inuestigare tamen oportet, an verum sit quod nonnulli ex nostris medicis asserunt, crassiorem victum exposcere hãc quàm tertianam simplicem. Rationem ad id sumentes longiorem hanc febrem esse quàm tertianam, cumque crassities victus & eius contrarium, à distantia status sumenda sint, fit, vt morbi qui breuius finiantur magis tenuem, qui vero tardius, crassiorem victum exposcant. Præterea labores & symptomata maiora seu vehementiora, cibum magis quàm remissiora prohibere. Iis & similibus adducuntur rationibus vt phlegmatica febre crassiori victu laborantes alant, quàm tertiana. Sed eos à recta deuiare existimo triplici ratione, duabus ab ipsa febre, tertia à morbi vtraque causa coniuncta & antecedente. Et vt apertius res percipiatur, ponamus duos temperatura, ætate, habitu, & reliquis consimiles, alterum phlegmatica alterum colerica febre laborare. Positis cæteris paribus præter febres & causas vtrasque earundem. Victus vt in superioribus ostẽsum est, à virtute sumitur morbo non prohibente.

Vnum'que diximus alimoniæ ſcopum eſſe, virtutis cuſtodiam. Vt à Gal. primo de ratione victus ſcriptum eſt in fine. Vbi igitur virtus magis exoluitur, plus alimoniæ opus eſſe, vt ſeruetur, quàm vbi minus, ſi per morbum liceat. At in tertiana febre plus exolui corporis virtutem quàm in febre phlegmatica manifeſtum eſt experientia id oſtendente. Plus igitur in illa miniſtrandum eſt ſi per morbum liceat. At licet, nam vna integra die & nocte ſunt à morbo liberi ægrotantes, & placide quieſcunt. At in phlegmatica febre contrariũ accidit, ita vt neque tanta fiat exolutio neque tantum per morbum liceat. Corripiuntur enim à febre omni die & non raro prima adhuc non euaneſcente proxima ſubintrat. Aut parum eſt id quo quieſcunt temporis & id quantumcunque eſt, abſque motione aliqua intrinſeca non eſt, incipiente ad inſtantem paroxiſmum diſponere. Vnde fit vt neceſſum ſit febricitantem alere priore febre adhuc non ſoluta, aut ſi id ſpectes, intra limites diſpoſitionis ad futurum paroxiſmum nutrias. Cunque hoc vt deterius caueant prudentes medici, reliquum eſt vt primum ſit eligendum. At febre adhuc non euaneſcente, minus cibi & tenuioris dandum eſſe ſupra oſtendimus de mente Hip. plus et craſſioris cum corpus ab ea liberum eſt. Vnde fit vt magis tenui victu in phlegmatica vtendum ſit, craſſiori vero in colerica. Ad hæc ſi humorem pituitoſum vlteriori coctione in ſanguinem conuerti & nutrire poſſe intelligas, magis aſſenties opinioni huic. Nam in corporibus quæ ab hac detinentur febre, abundãt pituitoſis excrementis

ventriculus, intestina, & meseraicæ. Quæ resolutioni vtriusq; causæ antecedentis & coniunctæ obstant. Hæc nullo alio melius quàm subtili victu consumes, vt recte sensit, qui vsque ad septimum subtili victu hos transigere præcepit. Quod si antecedentem spectes causam, propter inæqualitatem substantiæ pituitosæ & qualitatis eius diuersitatem, multo plus habet hic natura quod separet, coquat, & conuertat, quàm in colerica, in qua propter causas contrarias æqualiter putredo concipitur. Ex ijs igitur manifestum est magis tenui victu alendos esse qui à pituita, quàm qui à bile febricitant. Iis adde ob multitudinem materiæ quæ vt plurimum in hac febre coincidit, cibum non parum obstare eius subtiliationi, incisioni, & consumptioni. In febre vero colerica quantum ad biliosi humoris synceri dispositionem attinet, non solum cibum non lędere, verum & iuuare, & ad reprimendam humoris acredinem, & ad inducendam humori nimis tenui crassitiem debitam.
Assenties verum esse quod opinamur, si audias quæ aduersarius de victu agens qui quotidiana febre laboranti conueniat, scribat. Citans Hip. quarto de ratione victus dicentem custodire patientem febrem hyemalem in fame oportet. Per hyemalem febrem eam intelligit, quæ fit à phlegmaticis humoribus similibus naturæ hiemis hæc ille. Quod si ita est, vt ille Hippocratem intelligit. Subtilior victus in phlegmatica quám in tertiana exhibendus est. In tertiana enim non custodimus ægrum in fame. Sed re vera Hippoc. aliter quám ille contra se perperam opinatur, intellexit. Nam Hip.

non de omni febre hiemali sermo est, sed de illa quæ praua affert symptomata. Vt patet ex ijs quæ dixit, lingua aspera redditur, prehendunt animi defectiones. Hunc iubet symptomatum non febris ratione ægrum, in fame seruare. Hæc ipsemet sentit cum dicit huic tã & si febris remitti consueuerit, in eo tamen qui per famem fit cruciatu conseruare ægrum oportet. Neque per famem solum inediam intelligas sed victum qui solis adhibetur potibus. Nam λιμοκτονία vel abstinentiam omnimodam significat, vel eam saltem quæ in potibus solis sit victus, rationem. Vt Gal. citato loco scripsit. A manu igitur aduersarij oblatam nobis palmam renuimus, malumus quam victrici manu decerpsimus. Ad rationem quam adducit pro se aduersarius de distantia & propinquitate status iam supradiximus. Sciendumque non in omni febre instituendam victus rationem penes status distantiam, sed solum in ijs quæ aut continuitate aut symptomatum causa periculum intra dies aliquot vitæ afferunt. At tertiana & præcipue exquisita citra periculum est. Vt ab Hip. in primo commentario de morbis vulgaribus accipimus. Quanto autem ab hac degenerat, mixtione phlegmatis cum bilioso humore non absque periculo aliquo febris est. Nam quottidiana siue ea nocturna siue diurna sit, eo non vacat vt ab eodem discimus. Quapropter ratione periculi quod in phlegmatica febre est, tenui magis victu eos, qui ea detinentur alere oportet. Vt in superioribus adduximus de mente Hip. in eo quod si dolor aliquis vel periculum aliquod comparuerit. Quod si in hac re

1. de morbis vulgaribus.

1. de ratione victus.

Gal. vt iudicem quis admittat ſcio aduerſarium nō obtenturum. Nam legimus eum auium carnes oua, & piſces petroſos, gallorum teſticulos, & ſimilia concedere ei qui tertiana febre laborat. Verum in primo ad glauconē de quottidiana agens, victum inciſiuum administrare iubet. Talem minus nutrire q̄ prædicta manifeſtum eſt. Ex ijs aliquis recte colliget in tertiana non pura vbi bili pituita eſt admixta, ſubtiliorem victum competere q̄ in ea quæ exquiſita eſt. Qua in ſententia Gal. eſt eodem libro vbi de victu per cibum & potum agens, inquit. In non certis tertianis prohibere oportet magis, inquantum poſſibile eſt, ita vt neque ægritudinē augere neque proſternere patientis virtutem tempori ampliori affligendam. Id præterea ab eo percipimus cum in huiuſmodi non certis tertianis ſingulis alternis diebus febricitantes ſolummodo alere iubet. Quod in pura tertiana non conſuluit. Quod ergo tenui magis victu qui à febre phlegmatica, quàm qui à tertiana detinentur indigeant ſatis oſtenſum eſt.

CAP. XV.

Sed operæpretium erit via ſpeculationis inquirere, quæ nam victus forma in quottidianis competat. Nam inter recentiores medicos non conuenit in hac re. Aliqui antiquiores inſequentes tenui victu alere febricitantes vſque ad ſeptimum iubent. Ab hoc ingroſſare victum præcipiūt vt virtus reficiatur, id'que gradatim. Cūque ad ingroſſationem debitam augmento peruentū ſit, ſubtiliori vtuntur vſque ad ſtatum. Alius non ſolū primis ſeptem diebus ſed per totum ad declinationem

vsque iubet, dicens non oportet vt comedat pullas neq; coturnices subintelligit quidam neq; alias carnes donec quiescat febris ab acuitate sua, & volentia. Alius dixit neque subtilibus aut subtiliter diętetur, ne virtus infirmi deficiendo molestetur. De ijs qui subtilem amant victum, quidam aquam hordei ad tres dies consuluit. Qui post hunc secuti sunt medici per tres dies totum principium morbi intelligunt. Quidam ex arabibus nõ spernendus autor cõsulit vt per hebdomadam regatur æger ex aceto & oleo rosarum, Zucaro, menta, & oleribus radice siclæ & similibus. Ab alio tamen ex arabibus antiquiore medico hanc habuit opinionem, dicente in febre phlegmatica subtilia regimen vsque ad septimum diẽ. Et si vides eam diminutam diminutione multa procede hac via. Si vero non vides eam minui, ingrossa regimen secundum quod tibi videbitur, quoniam inueterabitur, & est dubium de casu virtutis. Sunt & plures qui diuersa sentiunt, sed longum esset omnium percurrere opiniones. Sed antequam in hanc messem nostram immittamus falcem. Dicere necessarium duco, vnde tanta inter medicos discordia in victus exhibitione in hac febre orta sit, vt à communi ratione quæ chronicæ febri qualis victus competat ostendit, discedant. Causa est vt supra tetigimus communis materiæ abundantia, eueniens vt plurimum in hac febre. Quæ vtriusque causæ, & antecedentis & coniunctę præparationem, consumptionem, remoratur. Hanc esse in ventriculo, intestinis meseraicis hanc in sanguinem conuerti posse si contagium corruptionis non acceperit certum est. Hæc propter eius len

torem & tenacem adhærentiā non potest clisterio aut vllo alio medicamento incisiuo citra commotionem & læsionem melius erradicari quàm subtili victu. Nam tenui victu non solum hanc putant consumere, sed & antecedentis materiæ bonam partem, natura alimentum sumente conuerso crudo humore in sanguinem. Nam vt supra tetigimus, putredo in phlegmate inequaliter concipitur, propter partium substantiæ diuersitatem, vnde natura multum habet quod separet. Vt ergo medici experiantur phlegmatis putrescentis dispositionem, nempe aptum sit vt actione naturæ ad bonum reduci possit, necne, subtili victu febricitantes regunt ad septimum vsque. Considerant' que tunc virtutis dispositionem multum aut parum aut nihil sit imbecillior facta, quod si parum aut nihil imbecillitatis incurrerit, & cum hoc materiam morbi dispositiones naturales recepisse medicus coniecerit, sciet humorem aptum nutricationi, actioníque naturæ cædentem & hac via procedendum esse ad sanationem vsque. Quod si contrariū eueniat, à subtili victu cessandum, naturam' que crassiori reficiendam, vt vires assumat contra malum & fortem hostem. Signum si quidem est, putredine humorem vasta correptum esse. Quapropter ineptum nutricationi esse, contumacis' que resistentiæ. Vtraq; ergo de causa crassiori victu iudicant alendum febricitantē. Quod si quod medio loco est eueniat, vt virtus imbecilla fuerit, humor autem dispositionem naturæ receperit, paulo crassiori victu febricitantem ales, vt natura roboretur. Sed minus crasso q̄ in prædicto. Est & alia causa

huius controuersiæ. Febrem hanc chronicam ex sui natura esse, & non absque pericnlo vt græci & arabes medici testantur. Quia longa est, crassum victum exposcit, ob periculum vero quod affert, ob paroxismorũ quottidianam inuasionem, & eorum longitudinem, & oris ventriculi læsionem, ad nauseam disponentem, tenuem. Vbi enim aliquod vitæ periculum imminet attenuandum esse victum nos docuit Hip. primo de ratione victus, & primo de morbis vulgaribus. Cum ergo hæc ita se habeant, non ex æquo hæc victus difficultas in omni phlegmatis spetie accidet. Nã in acetoso, minus q̃ in dulci, & q̃ in naturali, at in vitreo adhuc acetoso minus. In salso adhuc multo minus. Nam in omnibus præter naturalem & dulcem pituitę spetiebus materię communis multitudo non coniungitur. Nutricationi præterea parum aptæ sunt. Quo fit vt in ijs pręter rationem sit subtili victu per septem dies vti. Præsertim in ea quæ à pituita salsa ortum habet. Tum in ea summatim, in qua materiæ communes pituitosę in ventriculis intestinis & vijs ductuum existentes, ineptæ sunt nutricationi, ob prauam earum dispositionem. quarum in huius operis initio mentionem fecimus. In quibus non parum læduntur febricitantes ex subtili victu per hebdomadam. In summa in omni febre longæ terminationis cũ materia nutricationi est inepta ex abstinentia, aut subtili victu, febricitantes grauiter lędũtur. Ea si quidẽ grauis noxa non est qua morbus vires assumit, sed qua corporis virtus exoluitur, morbi dispositione nihil aut parum in melius addente. Id enim manifestum est, nam

ſi hominẽ qui ſic afficiatur, ſola inedia per aliquot dies ſerues, multo eum imbecilliorem reddes, humore pituitoſo parum in melius addente. Craſſus enim humor & frigidus natura longo indiget tempore, vt coctionem recipiat. Præcipue cum longe à propria natura eſt. Quare citius virtutem corporis in deterius ſubtili victu adduces, quàm morbum in melius. Cum ergo hæc ita ſe habeant, grauem'que noxam febricitantes incurrere oſtenderimus à ſubtili victu, cum humor nutricationi ineptus eſt, niſi perpetuo aliquo ſigno aut ſignis id diſcernere valeamus, dementis profectò eſt aliquid agere alicuius commodi gratia, ſub periculo maioris damni. Quod ſi id citra virium diſpendium adipiſci poſſe alia via ſperes, qua materias communes abſumas & antecedentes ſi opus fuerit, non ne illam amplectandam eſſe merito quis exiſtimabit, quapropter cum ſignum certum firmum non habeamus, quo à prima, die diſcernamus humoris diſpoſitionem, an ad nutritionem ſit aptus nec ne, multo melius eſt & ægrotantibus ſalubrius, communi via & regia circa victus rationem procedere, citra aliquod virium incommodum, quàm ægrotantem per diſcriminum compendia ducere. Adde quod ſi hoc detur vt à primo die humoris naturam cognoſcas aptam eſſe nutritioni, ſi materiæ communis adeſt abundantia, & hanc quoque ſubtili victu conſumere ſperes, prius putredo in antecedentis materiæ altum penetrabit, q̃ natura communem abſoluerit. Longe melius profectò eſt, cliſterio quæ in inferiori continentur ventre euacuare, lenitiuo mannę aut floris caſſiæ cum oximelite

aut

aut melle quæ insuperiori sunt. Hoc si semel aut bis vsus fueris cum victu vt oportet incisiuo intra dies tres materias communes absumes. Licet earum abundantia detur. Et interim materiam antecedentem non penitus neglixisti. Horum si quidem lenitiuorũ quæ acutior pars est ad iocinerem venas et renes festinat, ad materiam'que antecedentem cui obuiat non parum iuuat. Quibus ij qui subtili victu suos nutriunt febricitantes vti non possunt. Nam ieiunantes non oportet laborare, quod si communes non adsint materiæ, antecedentis autem bonam nutrire posse partem conieceris, optimum esse iudico subtilem victum administrare. Vtpote quo natura plus temporis in opere impendit, antecedentem'que ob id materiam citius apparabit, bonum separans & sibi accipiens, prauum ad expulsionem præparans. In subtili præterea victu incisiuas qualitates & abstergentes inuenias, quibus in magis nutriente victu similes non reperies. Sed difficilis admodum est coniectura dispositionis humorum qui iam putredinem conceperunt, an sint ad nutritionem apti nec ne, nisi id experientia ostendente discamus. Qua in re non expectandum esse septenarium duco, sed melius ita agere. Cum ex signis pituitam naturalem aut dulcem esse, putredinem'que non profundatam in materia conieceris (quod ex febris vehementia, longitudine, & ipsius inceptione & finitione, præterea, ex symptomatibus & ex colore faciei, & alijs pcipies.) Parato statĩ clisteriũ ad hũc modũ. Cẽtaureã minorẽ, camomillam, hyssopum, maluas, hordeũ excorticatũ, cõtusum, in aqua & oleo cõmuni ad æquas

partes buliant quousque consumpta sit aqua, olei residentis vntias decem accipito, adipis anatis aut capi, & mellis, singulorum vntias tres, salis parum, quantum possit substineat. Ab excretione dato oximelitis vntiam vnã, mellis rosati collati vnam et semis, aquæ decoctionis seminis fœniculi dulcis duas & semis, misce dato bis eadem die. Sequenti aurora floris cassię aut manne vntiã vnam & semis, dissolutæ in aqua decoctionis seminis fœniculi dulcis thymi et hyssopi, oximelitis vntias duas, dato hora quietiori diei secundæ. Quod si bibere potionem renuerit, fac tres bolos cum zinzibere & zucaro postq̃ quæ deglutierit, sorbeat oximelitis coclearia septem. Cunque hæc per egeris ægrum symmetro victu seruato eo modo quo supradiximus. Hoc est crassa sorbitione ex decocto pullę & ex carnibus eius. Die tertio syrupũ bis dato, & similẽ victũ exhibeto. Quarto die clisterium ministrato & simili victu febricitantem alito. Verum à quarto die ad septimum hoc victu ægrotantem nutrias.

Cicerum electorum mañ. tres, hordei duos, infundito in aquã tepidã per totam noctem in testa recẽti, proijcéque aceti albi tantum vt aqua acetosa reddatur. In crastinũ olei purissimi antiqui quantum satis misceto, petroselini thymi singulorum mañ. vnum, salis parum, coquito ad lentum ignem. Vtere decocto ter in die, et cum pane sorbitiunculam facito. Propinabis'que ante cibũ mellis rosati collati coclearia duo, oximelitis vnum vt supra diximus. Hoc victu vtitor ad septimum vsque. Quo tẽporis interuallo nec purgante medicamento nec clisteri

veteris. Die octauo & vires infirmi & ægritudinis dispositionem contemplare. Si nullam differentiam inueneris sensibilem ad vndecimum ita transiј. Quod si tunc ægrotantis virtus parum fuerit imbecillior, morbi autem dispositio in melius plus addiderit, perge hac victus ratione. Si alias eueniat, crassiori vtitor victu. Et quia bona hominum pars vnum dũtaxat victum per dies aliquot ferre nõ possunt, sunt et qui cicera odio habent, cibum alium apponemus huic proposito maxime idoneum, quo vti possunt qui tenui victu in hac febre per dies aliquot procedendum esse iudicant.

Petroselini berberorum singulorum mañ. vnum, coquito in aqua modice quantitatis &c. In qua duo oua bullire tandiu sinito, vt satis dura reddantur, fac collaturam cuius accipito partes tres, olei purissimi vnius semis, aceti vnam, Zucari vnam, cum pane fiat sorbitio ad lentum ignem. De subtili igitur victu qui ad dies septem ab antiquis arabum medicis obseruatur satis sint dicta.

CAP. XVI.

SEd qualis victus ијs qui à quartana detinentur febre cõueniat, iam percurramus. Hæc à triplici humore ortum habet, nempe ab atrabile quam sanguinis fecem recte quidam nuncuparunt. Et vt plurimum fit, nulla alia præcedente febre. Fit etiam à bilis croceæ & à pituitæ incensione, & heæ duæ species quartanam notham seu non puram efficiunt, successu aliarum febrium, scilicet tertianæ & quottidianæ. Fit etiam ex sanguinis adustione. Verum ex incensione melancoliæ

naturalis atrabilem posse fieri certum est, sed quod ab ea generetur febris quartana non recipimus. De hoc alias disserendi aptior dabitur locus. Nunc quem victũ singulæ species exiguant dicamus. Iis qui à naturali melancolia febricitant, hanc ministrato sorbitionem. Pulegij, scolopendrij, hepaticæ, passularum enucleatarum singulorum mañ. vnum, coquito cum pulla crassa, parum antequam ab igne amoueas, immitte florũ borraginis mañ. vnum. Coquantur simul, quousque sint permixta, croci modico adiecto, ius dato febricitanti. Ex reliquo fac sorbitionem.

Sorbitio ex scolopendrio

Iis qui intemperie frigida & sicca laborant, conuenit pulegij, chamemeli, scolopendrij, hepaticæ singulorum mañ. vnum, passularum enucleatarum vnum, coquito cũ capo, aut pulla crassa, adiectis floribus borraginis, fac vt supra. Cunque omnia percocta sint, decoctum collato, cuius accipe libras tres, medullæ cruris vituli libræ vnius semis, bulliant ad lẽtum ignem quousq; permisceãtur. Dato vt sorbeat bis in die aut ter, quod si iuuenibus aut alijs natura calidis cibum similem parare velis, loco chamemeli vtere violis, cum pullis duobus, reliqua exerce vt supra.

Sorbitio ex medulla

Aceti albi libram vnam & semis, passularum enucleatarum mañ. vnum, pulegij, chamemeli, conquassatorum ana mañ. vnum & semis, infunde in acetum per diem & noctem, deinde parum coquito & collato. Hoc acetum dicatur pulegij.

Acetum pulegii.

Huius accipe partem vnam, olei amigdalarum dulcium recenter extracti partes tres, Zucari albi partes duas, co

quito in duplici vase quousque permixta fuerint, dato coclearia quinque vt sorbeat ter in die. Quod si caput arietis coquas cum pulegio chamęmelo passulis scolopendrio quod alias ceterach arabes nuncupant, efficies ius & sorbitionem satis conuenientem ad siccum affectum. In Anglia expertum est mixtionem vini et lactis bis prodesse facta distillatione. Calidam & humidam aquam ex ijs fore ratio demonstrat. Qua sanari posse eos qui frigida & sicca intemperie laborant verisimile est, si parum abcesserint à naturali temperie. Quod si quartana à bili adusta ortum habeat, hoc victu vtere. Si iuuenis sit.

Sorbitio ex capite arietis

Accipe hordei extorticati ab vtroque cortice, mañ. vnũ & semis, violarum recentium, hepaticæ, chamemeli, singulorum mañ. vnum, coquito cum duobus pullis crassis quantum satis, deinde parum antea q̃ ab igne amoueas, addito florum violarum mañ. tres, collato accipitóque huius decocti libras tres, medullæ cruris vituli, librę vnius semis, coquantur omnia simul donec permisceantur, dato vt ter in die sorbeat.

Sorbitio ex floribus violarum.

Sorbitio quoq; expedibus vituli decoctis cum hordeo violis hepatica pulegio scolopendrio aut politrico passulis, croco, valde vtilis est ijs qui à bile adusta febricitant, cum coquuntur donec tenerrimi reddantur.

Aquæ decoctionis florum violarnm aut borraginis libram vnam, amigdalarum dulcium, & nucleorum persicorum singulorum vntias tres, excorticentur & triturentur diligenter, & exprimito in decoctum toties donec aqua albescat, butyri recentis multoties loti vntias

Lac nucleorum persicorum. tres, Zucari albi quãtum satis sit, cinamomi parum, bulliant ad lentum ignem donec permixta sint.

Lactucas quoque crudas ex melle offeres ijs, vt cum libuerit deuorent. Iis ante cibum dato syrupi violarum purissimi vntias tres, vinum album dilutum ex aqua decoctionis politrici recentis, super bibant.

Sorbitio ex adipe. Iis qui quartana ex phlegmate adusto laborant sorbitionem parato, ex pulla crassa cum chamemelo, pulegio, thymo, passulis, saturegia, postquam hærbas iam coctas abstuleris, axungię ab anate recenter extractæ, aut capi si illius copia nõ detur, immitte vntias tres, longi piperis grosso modo contriti, grana tria, bulliant simul adiecto croci modico, ius propina vbi oportet ex residuo fac sorbitionem.

Sorbitionem præterea ex furfure cum chamęmelo pulegio & melle administrato. Quam in fine huius libri cum de obstructione nobis sermo fuerit trademus.

Sorbitio ex alleis. Pinguis arietis ceruicem, saturegia, chamemelo, pulegio, tribuśꝗ allijs integris ciceribus & sale coquito, cunque hærbas iam coctas abstraxeris, addito adipis anatis, aut capi recentis partem quintam, croci parum fac vt supra.

Sorbitio ex camomilla. Capum pinguissimũ cum chamemeli tribus mañ. coquito, & cum sale & croco fac vt bulliat suff. cienter, cõsulito ęgrotanti vt bis aut ter in die magnum sorbeat haustum calidum. Commodissima his sorbitio hæc est, ad alios vsus etiam vtilis. Ante cibum ijs dato mellis violacei coclearia quinque.

Iis qui quartana ab adustione sanguinis laborant, hũc

administrabis victũ. Hepaticæ mañ. tres, hordei ab vno cortice exuti, capillorum veneris recẽtis prunorum singulorum mañ. vnum, passularum enucleatarum vnum, eupatorij quod alias agrimonia à Dioscoride dicitur, foliorum pentaphilonis singulorum vnum & semis, coquito simul cum duobus pinguissimis pullis, aut iuuene capo, fac vt supra. Ante cibum sorbeat syrupi uiolarum coclearia tria, syrupi borraginis coclearia duo simul mixta. Sorbitio ex eupatorio.

CAP. XVII.

INter medicos circa victũ qui quartanæ cõpetit nõ satis conuenit, sunt qui magis crasso in initio quàm in augmento & hic quam in statu vtendum esse cõtendant, continuarum febrium rationem, ad omnia febriũ genera communem facientes. Sunt qui contra censeant, nempe in principio magis tenui, & crassiori semper ad statum nutriendos esse ægrotantes, in eo autem tenuius multo reficiendum esse. Sunt & alij mediæ opinionis, qui à principio ad aliquot dies tenuiter febricitantes reficiunt, deinde crassiorẽ exhibent victum. Multoties quartanas febres in principio curatas esse tenui victu dicentes. Si enim febris parum sit duratura, & crassum victum in principio humoris resolutionem prohibẽtem ministraueris longiorem eam efficies. Quod si lõga futura sit, parum nocebis aut nihil, si tenui victu quo virtus non absumatur per dies aliquot vtaris. Qui ita sentiunt pullorum carnes ad vigesimum diem prohibent. Ego autem quid sentiam citra disputationis contentionem dicam. In quartanis quæ aliarum febrium

successu fiunt, locũ non esse huic dubitationi arbitror. Non est enim quod virtutem multum defatigatam à præcedente febre, & aduentu alterius, iam languescentem, tenui victu exoluas, ad certamen eam denuo impellens. Neque si detur vt tenui victu laborantem ad vigesimũ diem serues, & morbi materiam absumas, ob id hominem à febre liberabis. Nam in quartanis febribus quæ post alias succedunt, solent ab intemperie aliqua, viscera molestari, quæ morbum fouet, & durationis eius præcipua est causa. Hac enim stante inuasis, iocinere, aut liene, continua fit humoris regeneratio. In quartana igitur febre quæ successu alicuius alterius facta est, pręcipuus sanandi hominis scopus est, vt viscera ad pristinam reducamus temperiem. Cęterum alterantia medicamina cibis immiscere melius esse supra ostendimus, q̃ si nuda exhibeamus. Vt consueuere triuiales nostri temporis medici, quorũ nisi quis syrupos, apozimata distillationum aquas electuaria, purgantia medicamenta exhibeat, se nihil bono medico dignum egisse putat. Et hinc fit vt ex reiteratione multiplici illa fastidientibus infirmis, in ventriculo non recte ad actum reducantur, quæ causa est vt infeliciter operentur. Quapropter non solum non prodesse tunc temporis, sed nocere certum est. Cũ multoties propter illa cibos fastidiant infirmi, & imbecilliores ideo reddantur. Quicunque igitur medicam artem ita exercent, necesse est vt multoties ægrotantes lædant, præsertim si corporibus imbecillibus & à longis ægritudinibus tabefactis obuient. Qui vero Hip. sequuntur, & eius in

primo de morbis vulgaribus acquiescunt cõsilio, dicentis. In hoc te exerceto vt saltem si non prosis ne quid noceas, lõge melius esse existimabunt vt huiusmodi corporibus non tenuem victum, non medicamina alterantia, si nuda offerantur, sed ijs quæ nutriunt, & bonum generant chymũ, ea miscere, quæ paulatim valeant morbificas partium intemperies euertere. At in febre quartana quæ repente incipit, subtilem victum vt pote qui facilioris coctionis sit, ad dies viginti qui septem continet quartanę periodos, probo. Hunc dico pullorum luscula, sorbitiones, eo quo supra parauimus modo.

CAP. XVIII.

SEd cũ in quartana febre compertum sit cibaria diuersa prauæ substantiæ, liberare multoties eos qui hac febre laborant. Ita vt alios, virides ficuus, aut vuas nocturno rore madẽtes, alios carnes porcinas ad satietatem comedentes, sanatos esse sciamus, & plurima alia id genus. Ad medicum arbitror attinere, si horum non lateat rationes. Vt ijs quando occasio affuerit vti sciat. Præterea quantum medico dedecoris est, per plures dies & menses varijs remedijs ab uso, & nihil proficienti, accedente rustico salsuginem offerente, sanetur ægrotans, medico & eius arti irridente, tantum ei gloriæ est ea non latere quæ multoties admirabili vi homines repente ab antiquis liberant ægritudinibus. In febre igitur quartana rationẽ reddere conabimur, quã ob rem diuersa cibaria quæ prauæ substantiæ sunt, aliquoties quartanam soluant. Secundo illud aliquoties, signis manifestis describemus, vt cum occasio affuerit eã

arripere diligens possit medicus. Paroxismorum causa, motus est humoris putrescentis, cui naturę expulsio coniuncta est. Putridi humoris est, quodam putredinali irritamento naturam instimulare. Facultatis vero expultricis, humorem certis periodis irritantem, meliori quo possit modo, depellere. Contingit autem vt cum per sensiles repente excrementorum copia feratur partes, horrorem, rigorem, aut frigus excitari. Motus ergo ille quodammodo medius est inter naturalem, qui à natura sola naturaliter operãte fit (vt cum post coctricis facultatis actionem agit) & in naturalẽ, qui à sola causa præternaturali fit, vt cum mouetur furiosus humor. Nec igitur à sola natura fit paroxismus. Nec à solo humoris irritationis motu, piodice febres cõtingũt. Vterque enim motus & naturę & humoris concurrunt, in paroxismo, vt perdoctè à Petro aponensi peritissimo medico scriptum est, in hæc verba. Quantum (inquit) ad naturam particularem comparando inquantum scilicet motus humorum ex actione virtutis dependet, tempora periodorum in morbis nõ sunt determinata, nec vnius modi, vt possimus dicere quod morbus factus ex cholera habeat motum de tertio in tertium, & de phlegmate in diem, & ex melancolia in quartum, immo respectu cuiuslibet humoris hæc tempora sunt, & possunt esse diuersa. Ita vt aliquando periodice morbus factus ex vno humore eueniat secundũ dies, aliqñ secũdũ mẽses, vel annos. Quod ideo cõtingit quia virtus expulsiua suã operatur actionẽ quocũque tpe superfluũ ei occurrerit, irritans eam per sui læsionem ad actum expulsionis, &

quia tale superfluum potest diuersis temporibus occurrere cum eius generatio dependeat à causis diuersis, nunc vno tempore occurrentibus, nunc alio, & alio iccirco tempus periodici motus non est vnum, sed diuersum. Similiter & aggregatio superfluitatis quæ dependet ex defectu virtutis digestiue non habet tempus præcise determinatum, sed diuersum secundum diuersitatē eorum quæ occurrunt intrinsecus, & extrinsecus. Hæc ille, interceptio ergo paroxismorum dupliciter contingere potest, aut ratione expultricis facultatis, aut ratione superflui aggregati, primum adhuc dupliciter, aut quia non instimulatur, facto sensu hebetiori, aut ob fortem animi motionem expultricem ab opere suo perturbantem. Ad primum modum reducuntur medicamenta ea, quæ virtutes habent narcoticorum, vt theriaca, athanasia, philonium romanum, quæ sanare quartanas febres experientia compertum est. Id etiam discimus ex Gal. ijs diuersis locis vtente, ad sanationem febris quartanę. Ad secundum reducitur quod ab aliquibus dictum est ob vehementem lętitiam plures quartanam euasisse febrem, sensoria facultate munere suo non fungente. Ob quamlibet prædictarum causarum virtus expultrix nō irritata, expulsionis opus non aggreditur. Non facta expulsione interrumpitur paroxismus, vt supra habitū est. Ratione superflui dupliciter, aut quia non aggregatur, aut si aggregatur euacuatur. Primo modo adhuc dupliciter, aut ob vigorem virtutis coctricis, aut ob defectum causæ aggregatricis. Et hoc adhuc dupliciter, aut vt efficiens aut vt materia. Hoc modo alimus febri=

arripere diligens possit medicus. Paroxismorum causa, motus est humoris putrescentis, cui naturę expulsio con iuncta est. Putridi humoris est, quodam putredinali irritamento naturam instimulare. Facultatis vero expultricis, humorem certis periodis irritantem, meliori quo possit modo, depellere. Contingit autem vt cum per sensiles repente excrementorum copia feratur partes, horrorem, rigorem, aut frigus excitari. Motus ergo ille quodammodo medius est inter naturalem, qui à natura sola naturaliter operãte fit (vt cum post coctricis facultatis actionem agit) & in naturalẽ, qui à sola causa præternaturali fit, vt cum mouetur furiosus humor. Nec igitur à sola natura fit paroxismus. Nec à solo humoris irritationis motu, piodice febres cõtingũt. Vterq; enim motus & naturę & humoris concurrunt, in paroxismo, vt perdoctè à Petro aponensi peritissimo medico scriptum est, in hæc verba. Quantum (inquit) ad naturam particularem comparando inquantum scilicet motus humorum ex actione virtutis dependet, tempora periodorum in morbis nõ sunt determinata, nec vnius modi, vt possimus dicere quod morbus factus ex cholera habeat motum de tertio in tertium, & de phlegmate in diem, & ex melancolia in quartum, immo respectu cuiuslibet humoris hæc tempora sunt, & possunt esse diuersa. Ita vt aliquando periodice morbus factus ex vno humore eueniat secundũ dies, aliqñ secũdũ mẽses, vel annos. Quod ideo cõtingit quia virtus expulsiua suã operatur actionẽ quocũq; tpe superfluũ ei occurrerit, irritans eam per sui læsionem ad actum expulsionis, &

quia tale superfluum potest diuersis temporibus occurrere cum eius generatio dependeat à causis diuersis, nunc vno tempore occurrentibus, nunc alio, & alio iccirco tempus periodici motus non est vnum, sed diuersum. Similiter & aggregatio superfluitatis quæ dependet ex defectu virtutis digestiue non habet tempus præcise determinatum, sed diuersum secundum diuersitatē eorum quæ occurrunt intrinsecus, & extrinsecus. Hæc ille, interceptio ergo paroxismorum dupliciter contingere potest, aut ratione expultricis facultatis, aut ratione superflui aggregati, primum adhuc dupliciter, aut quia non instimulatur, facto sensu hebetiori, aut ob fortem animi motionem expultricem ab opere suo perturbantem. Ad primum modum reducuntur medicamenta ea, quæ virtutes habent narcoticorum, vt theriaca, athanasia, philonium romanum, quæ sanare quartanas febres experientia compertum est. Id etiam discimus ex Gal. ijs diuersis locis vtente, ad sanationem febris quartanę. Ad secundum reducitur quod ab aliquibus dictum est ob vehementem lętitiam plures quartanam euasisse febrem, sensoria facultate munere suo non fungente. Ob quamlibet prædictarum causarum virtus expultrix nō irritata, expulsionis opus non aggreditur. Non facta expulsione interrumpitur paroxismus, vt supra habitū est. Ratione superflui dupliciter, aut quia non aggregatur, aut si aggregatur euacuatur. Primo modo adhuc dupliciter, aut ob vigorem virtutis coctricis, aut ob defectum causæ aggregatricis. Et hoc adhuc dupliciter, aut vt efficiens aut vt materia. Hoc modo alimus febri-

citantem febre quartana cibarijs, quæ suapte natura in melancoliam facile conuerti non possunt. Talia sunt cibaria calida & humida, non quæcunque sed quæ non facile in melancoliam conuertantur, vt pulla gallinacea, capus, arietis caro. Sunt alia quæ calida & humida sunt & longe absunt, vt in melancoliam conuerti possint, talia sunt olea matura præcipue amigdalarum, sesamæ, axungie anatis, ficus aride, & similia. Omnia ergo huiusmodi cibaria calida & humida difficulter melancolicæ naturæ cedentia, si cum hoc à coctrice facultate facile vincantur, vtroque modo quartanas febres sanant, nempe efficientis causæ & materiæ ablatione. Id est quia melancolici humoris intemperiem aggregatricem scilicet causam contraria qualitate euertunt. Et quia vt materia inepta melancolico humori, cessare faciunt atrabiliosi humoris regeneratione͂. Ad has duas causas reducuntur cibaria à nobis supra scripta, quæ quartana laborantibus administrari iussimus. Hoc modo oleum amigdalarum dulcium cum croco, aceto pauco bibitum, sanat quartanas. Hac de causa distillatione vini & lactis plures quartanam euasisse compertum est in Anglia. Tunc ob fortitudinem coctricis facultatis ægrotantes euadunt quartanam, cum maior pars humoris qui ad paroxismum aggregatur, suppeditatur, à cibis & potibus quibus quottidie laborans vtitur. Cũque hoc conieceris facultatem roborare coctricem, quartanæ remediũ esse scias. Roboratur dupliciter, aut absolute, aut respectu alicuius cibi, & potus. Pro comperto est ea quæ nimis delectant, & placent, melius à

coctrice coqui, ab attractice trahi, aretentrice retineri, vberiusque multo nutrire, & minus superflui ab ijs q̃ ab alio implacido accrescere. Hoc modo cibum quem auidissime febricitans appetat quartanam posse sanare experientia compertum est. Quod si præter hoc quod magno appetatur affectu supra dicta habeat, quæ ad defectum aggregatricis causæ facere diximus, adhuc certius quartanam erradicare posse sperabimus. Hac de causa plurimos carnis porcinæ vsu, à quartana liberatos fuisse compertum est. Quia enim nimis appetitur recte coquitur in uentriculo, iocinere, & venis, quare parum ex ea superflui colligitur, sed & intemperiẽ obiter siccam quæ humoris atrabiliosi velut scaturiẽs fons est, mire corrigit. Soluere igitur quartanam carnem porcinam aliquando posse, ex dictis manifestũ est. quæ absolute roborant coctricem facultatem, quartanã soluere possunt. Vinum ante omnia præcipue odoriferum id habet vt valenter naturales roboret actiones, vnde ebrietatem posse curare febrem quartanam tum hac de causa, tum sensu facto hebetiori haud dubium est. Curantur similiter quartanæ febres ex superflui aggregati euacuatione. Hoc modo medicamenta melancoliam educentia, vt polipodium, epithymum, sene, corticem helebori, sanare quartanas pro comperto est. Hãc partem solum sibi nostræ tempestatis medici reseruarunt, reliquas omittentes, ac si non esset præter illã via alia, qua à quartana liberentur homines, hoc modo qui vuas maturas nocturno rore madentes ad saturitatem ingerunt, & ficus magnas tempestiua maturitate caden

tes, à quartanis febribus liberantur. Hi enim & similes fructus aluum aliquando immodice cient. Cum igitur perceperis ex cibis aut potibus humoris maiorem partem qui paroxismum efficit suppeditari, dandi ea quæ placent tunc occasio est. Illud autem ijs signis percipies. Primo subtiliori te vtente victu per aliquot dies, si imminuatur febris magnitudo & vehementia. Secundo, cibo id experieris, qui difficulter in melancoliam conuertatur, aut minimum habeat melancolicæ naturæ. Si enim hoc cibo te vtente per dies aliquot, imminuatur paroxismus, adhuc certiori coniectura initeris, à cibis & potibus humoris maiorem partem ad paroxismum suppeditari. Hoc idem est ac si dicas si iuxta ciborum quantitatem & qualitatem quibus laborans vtitur ita varient paroxismi, coniectura assequeris exhibendi ea quæ ægrotanti placent occasionem adesse. Quare diligenter inquirito quem nam ex cibis febricitans ardenter appetat. Si ex ijs fuerit qui qualitate atrabili contrarius est, & tali substãtia, vt difficulter in melancoliam conuertatur, laboranti porrige hora consueta quæ ab initio venturi paroxismi duodecim horis ad minus distet. Comedat pro appetentia citra saturitatem. Quod si cibus quem appetierit melancolicæ naturæ sit, aut in melancoliam facile conuertatur. Considerare tum opus est signa coctionis, quæ si sint, dato, eo quo diximus modo, quod si non, modicum illius febricitanti abnegare nolli, sciens nonnulla fieri & plura posse, citra rationem homini manifestam. Parum insuper deterior cibus si delectabilis &c. Quæ faculta-

tem expultricem respiciunt, tunc sunt administranda cũ nimis vigilanti sensoriæ facultati præcipuam continuationis paroxismorum dederis causam. Tũc aut his quæ aliquam habent narcotici virtutem, aut forti & repentina aliqua motione, sensum ægrotantis oportet hebetescere, animum alio trahendo. Illud percipies si primo quænam sint corpora acuti sensus cognoscas. Hæc aliquando iusto quæruntur, quãdoque iniusto. Cum initia paroxismorum grauiter ferunt, rigore frigore, vehemẽter quatiuntur molestantur, ipsam autem febrem paruam, magnitudine, duratione, vehementia intelligas. Scito sensoriam in ijs facultatem parumper obdormire remedium esse. Sunt tales ij qui acerrima sunt præditi imaginatione, ita vt multoties cogitantes rideant, facies mutent, oculos manus'ue moueant. Iis paruæ occasioni, imaginatio coniuncta, multoties paroxismum efficit: Quare hos tales curabis si eorum mentes alio trahas, vt mihi in Anglia contigit. Erat iuuenis habitu gracili sicco temperamento, laborans tertiana, cunque post aliquot dies abire Londinum decreuissem (nam in rure erat) ei dicturus accessi, quæ me discedente agere deberet. Cunque finem sermoni imposuissem, tu inquit discedis quia me moriturum certo conijcis. Cunque iureiurando contrarium ostendissem, repente in lecto sedens, vestem & calceos petiuit. Quid inquam cum ijs agere uis, surgere inquit, an me meis pedibus sustinere valeam, quod si hoc detur abij. Cunque surgens in fenestram quæ in virides campos late patentes prospectum habebat cõcessisset, intuens, animi deliquio captus

est. Cunque in lectum portaretur parum'que requie-uisset, lachrymis obortis, domine inquit Brude non ne tibi dixi quia morior. Cunque vxorem clientes & amicos conuocasset, omnibus astantibus dixit, scitis amici morior, medicus ab ire vult, vt me morientem non videat. Cunque ei obiecissem, quid inquã mihi dabis, si te ab hoc morbo liberum reddam. Repente miro animi affectu commotus, pete inquit, non minus dabo quã postulabis. Cunque peterem dedita opera aliquot aureos. Parum inquit petisti, allato scrinio numerauit pecunias. Quia inquam statim soluisti liberalis viri functus officio, non te relinquam prius, quàm ad rus concedas & perdices & phasianos aliquot ex tua venatione mecum in domum portem. Hoc audito clamauit sanus sum. Cunque aperte perspexissem hominem acri prædítum imaginatione, vt qui modo mortuum se esse putabat, nunc se sanum fateatur, pectore hæc versatus, modum quo hominem à tertiana liberarem inueni. Die sequenti cum febris hora decima eũ inuasura esset, nocte ante habito cum vxore & clientibus consilio. Iussi vt omnes fenestræ ad horam nonam aperirentur (aperiebãtur enim ante sextam) tres'que horas hæro suffurarentur. Cunque hoc ita decretum esset, mane omnes ex cõsulto non intrarunt in cubiculum. Cunque vxorem hora octaua vocasset, quotta inquit hora est, illa quintã dicẽs, dormiréque eum iubens abijt. Hora transacta clientem vocãs, cum ab eo accepisset horam esse sextam, quiete egit, post horam quam septimam existimabat, accessi. Cunque in sermonibus horam traxissemus, præcor in-

quam

quam domine Culpepare duas horas quæ ante paroxiſmum ſuperſunt ad aleam teramus. Cunque annuiſſet, luſimus hora vna. Cunque vxor eius rem riſu diſſimulare non poſſet, rem omnem homini pandimus. Meridiem'que iam eſſe, duas'que horas poſt paroxiſmi tempus, & ita ſanatus eſt. Supereſt nunc occaſionem deſignare qua adhibitis ijs quæ aluum cient, curetur quartana. Et ſi à medicis plurimis ſciamus ſignis eſſe oſtenſam, nihilominus quia id communibus non proprijs egere ſignis, in præſenti tantummodo libare non ab re erit, vt compleamus ſermonem. Cõmune illud medici obſeruantes præceptum nempe concocta medicari & mouere non cruda &c. Item inchoantibus morbis &c. Pharmaco educente vtuntur. Nec itaque ob id quod morbus ſtatim non curatur, male egiſſe cenſebitur. Nam non omnis euacuatio quæ ab arte fit, ideo fit vt illico ægrotans ſanetur. Neque etiam euacuationes quæ à natura regulariter operante fiunt, hoc obtinẽt, ſed aut ſanant, aut alleuiãt aut in præſenti aut in poſterum. Sic ſat eſt ſi quæ ab arte recte fiunt euacuationes ſanent aut alleuient. Occaſionem medici ſignis deſignarunt, qua pharmaca educentia adhibita alterum duorum efficiunt. Et eſt cum adeſt morbi coctio. Tunc enim euacuatio adhibita vt plurimum illico ſanat, aut alleuiat. Præterea cum materia nimis multa eſt, euacuatio adhibita alleuiat in poſterum. At occaſionem ſignis deſignare qua euacuatio adhibita illico ſanet, difficile admodum eſt. Adhuc difficilius eam ſenſu aſſequi, vt pote nimis præcipitem. At plures ſcimus qui longas febres

passi, medicorum opem inanem diu experti, à rustico siliculam aut rici semen aut quod vis aliud ministrante repente liberati sunt. Indeque arbitratur vulgus illa pharmaca longe ab ijs quibus medici vtuntur abesse, et ea ut sacra veneratur, ignorans quanti sit occasio ad sanationem momenti. Hanc nactum medicum secure operari, cito sanare posse certum est, minimo humani corporis damno. Morituris nullius occasionem esse. Adhibendi ea quæ aluum cient in quartana aut alia longa febre occasionem, in principio morbi aut inclinatione quęrere oportet. Iis duobus temporibus intemperies non est, quæ febrem ad longum foueat. Verum quandoque intemperies febres præcedit. Oportet ergo vt signis proprijs singulas quas in corpore vnaquæque febris generat intemperies cognoscas. Cum has omnino abesse scias, humorem autem collectum in loco vno ex hypostasi laudabili, conijcies occasionem adesse pharmacum offerendi. Fructus autem qui medicamenti educentis vim habent, plus prodesse quia citra abominationem assumuntur, quinimmo appetuntur vt plurimum. Quapropter recte in ventriculo ad actum reducuntur, et per totum distribuũtur corpus. Vnde quadam naturali & consueta naturæ corporis actione, suũ opus agunt. Quare multo commodius id quod noxium est educunt. Contrarium euenit ijs quæ cum violentia operantur pharmacis, naturæ corporis vim inferẽtibus, quadam præter naturali commotione, bonum simul cũ malo educentibus. In ea autem commotione noxij contactu bonum posse affici certum est. Vnde fomentum

dari recidiuæ. Quare habita occasione ijs quæ citra commotionem educunt vtere.

CAP. XIX.

MAlitia morbi quā græci κακοήθειαν vocant, dupliciter dicitur, aut actionis, aut resistentię ratione. Primo modo malignum dicimus morbum, cum violēta actione substantiam spiritus qui naturæ vnicum est instrumentum exoluit, aut sanguinē ad eorum generationem indisponit. Aut quia pertinaci resistentia vires coquentis facultatis obtundit. Primū malignitatis modum tetigit Gal. in expositione illius & refrigerata extrema. Secūdum quarto de methodo medendi aliquod vlcus cacoëthes, hoc est malæ morigerationis vocans. Pestilentes febres primo modo malignæ sunt. Vtroque autem modo febris quæ à carbunculi inflammatione originem habet. Pestilens febris non eam quam reliquæ acutæ febres victus rationem exposcit. Causa est quia tenuem victum in illis, ob id maxime ministramus, vt natura coctioni materię morbi fortiter vacet. At in pestilenti febre id diligenier curamus, vt duellum inter naturam & pestilentem humorem caueamus. Nam vt plurimum ex tali certamine natura vincitur, vt scite à Gal. scriptum est in Apho. cum dixit. Nouimus plures ex crisibus sanatos q̄ mortuos nisi pestilens fuerit constitutio &c. Cum ergo hoc ita se habeat, cessat in pestilenti febre vna tenuis victus causa. Quinimmo cum hæc febris substantiam spiritus fortiter exoluat, & materiam ad eorum generationem indisponat, oportet vt diligētia omni, prudens medicus

4. de rōne victus.

& cibo & potu competentibus, materiam generationis spiritus suppeditet. Et quia ab antiquis medicis ostensum est spiritus vnicum esse ad omnes actiones instrumentum, cunque in nullo & si acutissimo morbo tanta fiat spiritus consumptio ac in pestilēte febre, recte quis colliget eo cibo vtendum esse qui facillimę sit coctionis. At huiusmodi cibaria tali sunt substantia vt prompte huc & illuc mutentur, ita vt rationabiliter verendū sit ne à pestilenti corrūpantur prius contagio, q̄ à naturali calido vincantur. Crassa vero cibaria exhibenda nō sunt, quia à naturali eorum calido vt pote lāguido vinci non possunt. Quæ causa est ut non solum spiritus materiam non ministrent, verum & in pestilentem causam addant. Cum necesse sit alterum duorum eis dominari. Quæ facillimę coctionis sunt & mediocriter nutriunt vt oua, & carnium succus, fugiēda esse videntur, nam promptius à pestilentis contagij vi, q̄ à natura vincentur. Difficile igitur nimirum est conuenientem cibum in pestilenti febre reperire. Talem dico qui materiam spiritus abunde suppeditet, facillimę sit coctionis, difficulter que pestilenti cædat contagio, in simplicibus hæc inuenire raro admodum est. Quare in ijs quæ adinuicem miscentur, quod conueniat reperire tentandum est. Iis quidem quæ spiritus multitudinem creant, & facilis coctionis sunt, ea miscere quę pestilenti contagio obsistant. Ea autem sunt, quæ natura sunt sicca, et in altum corporis cita penetratione se mergunt exiccantem facultatem toti communicantia. Quod si præter hæc à terguo astrictoria polleant vi, qua cor-

poris vias compescant, quodcunque id sit pestilenti contagio obstare recte dicetur. Sal in primis habere locum vsus ostendit, quo corpora in corrupta ad longum tempus seruamus. In eo igitur iam dicta percipimus nẽpe exiccationem, penetrationem, & astrictionem. Secundum locum habent omnia acetosa, ex quibus acetũ in primis se offert, deinde succus arantij, & succus mali granati acidi, ab ijs amara, sed quia calida sunt, minus conueniunt. Oua recentia facillimæ sunt coctionis, & ad generationem spiritus materiam prębent. Ne ergo in pestilentem materiam cõuertantur, ea hoc modo exhibere expediet. Ouum recẽs integrum immittito in aquã frigidam mixtam cum aceto, ibiq; esse sinito tribus horis, tandem ouum rumpito, & album extra mittito, succo arantij aut aceto albo capacitatem impleto, salis tantum addito, vt mediocriter salsum efficias, coquito supra cinerem calidum, miscetóque donec crassum reddatur. Vtere eodem cum succo mali citrei loco arantij aut aceti. Item perdicis carnosæ aut phasiani aut iuuenis columbæ viscera effodito, eam'que sale condito, ita vt perdicem mediocriter salitam efficias, eam sic esse sinito die vna in æstate, aut duabus in hyeme. Postmodum in eam mali citrei frusta immittito & petroselini folia vt quod inane in perdice est impleatur, eam'q; ad ignem lentum coquito. Cũque humor intrinsecus extra erumpat, & perdix tota humecta fiat, super eam sal vndique inspergito. Cumq; mediocriter assa fuerit, humorẽ qui ab ea deorsum distillauerit digito excipito, experiréque an salsus sit, quod si non, adhuc iterum

ſal inſpergito, vt tandem ſuccus mediocriter ſalſus redatur. Tandiu ad ignem perdicem eſſe ſinito quouſque humor exiccetur, poſtea ab igne amoueto, perdicemq́ in parua fruſta ſecato, & in lintheum demittito, duobusq́ue in contrarium retorquentibus pro viribus totus eius ſuccus extrahatur. Quem ægrotanti miniſtrato. Multum quidem nutrit, ſpiritus ſubſtantiam auget, ventriculum roborat, & peſtilenti infectioni valde obſiſtit. Idem è capo aut pulla gallinacea ſi illorum non detur copia efficere poſſis, & alijs montanis paſſeribus. Neque aliquis admiretur, nos & ouum & ſuccos ex carnibus ſalſa ex conſulto efficere. Cum enim obijciens animo voluat, peſtilentem febrem naturales priuatim actiones corrumpere, nempe cordis, iocineris, & ventriculi (vt ex vomitu fluxu ventris, vrinis rubeis conturbatis, & ex inordinato pulſu, oſtenditur) peſtilentemq́ue infectionem citius ijs partibus quæ humidiora ſunt communicari (humiditas enim peſtilentis contagij fomentum eſt) haud quaquam præter rationem eſſe ea quæ diximus exiſtimabit. Quinimmo ab ipſa rerum natura in id ducimur. Eas ſi quidem corporis partes quæ peſtilenti contagio affectæ ſunt, ſcimus præter naturam humectas eſſe, actionesq́ue earum ob id reſolui. Quare vel cibaria ipſa natura ſicca eſſe oportet, aut ſi talia propter duram coctionem non conueniant, ſaltem cibis ea quæ exiccare valeant ſunt miſcenda. Sal autem vt diximus omnium eſt efficaciſſimum aduerſus omnem corruptelam, maximéque humano generi familiare. Quare ſalſa omnia huic febri conuenire rationalis me

thodus docet. Neque ob id quod sitim generant reij-
cienda sunt, quinimmo hoc nomine amplectenda. Nã
saluberrimum est in hac febre sitire, duplici ratione,
& signi & causæ. Indicat enim actionem sensoriæ fa-
cultatis oris ventriculi incolumẽ esse. Sitiens præterea
frigida delectatur. Potum autem aquæ frigidæ ijs sa-
lubrem esse communis medicorum schola fatetur. Sed
non deerunt qui salsa ijs damnent, tãquam febri & eius
causæ incommoda. Nam salsa febri non sunt contra-
ria. Potius enim frigida & humida. Nam omnem fe-
brem calidam & siccam esse intemperiem, medici asse
runt. Putridus præterea humor non salsis, sed ijs quæ
per aluum, aut vrinam, aut sudores educere possunt ex-
tra corpus pellitur. Sed si quis accuratius cuiusque hu
moralis febris remedia consideret, inueniet, medicum
vtraque artis medicæ parte vti, tum ea quæ curat, tum
ea quæ præcauet. Frigidam offerens medicus, febrem
præsentem curat. Exhibens pharmacum, futuram præ
cauet. Vomitum, sudores, vrinas euocans, humorem
putridum febrem efficientem extra corpus pellit. Poros
autem corporis aperiens, aut abundantiam euacuatio-
ne minuens, perspirationes liberas efficit. Exindeque
præcauet ne vlterius putredinalis affectio grassetur, &
sanos corruptella ne afficiat humores. Hoc autem est
causam corruptionis tollere. Hoc'que est vltimum quod
rationali deuenimus methodo. Id'que primum quod
opere exequimur. Nempe cum aliquis intra corpus pu
tridus humor sit, febrem efficiens, vt qui sani sunt ne
eius contagio afficiantur humores in primis curare. Si

igitur in omni humorali febre id agere tenemur, multo profectò causatius in pestilenti, quę efficacissima vi quibus obuiat afficit, id in primis nos agere iustum est. Quare non solum ijs quę perspirationes liberas efficiunt, nec potionibus & medicamentis quæ intro assumuntur (quod alias in alijs febribus ob imbecillem putridi humoris vim fecisse sat est) sed & cibis id tentandum efficere, vt pro virili corruptioni exitialiter grassanti obstemus. At salsa vt diximus primum habent locum, vt experientia & ratio ostendunt. Melius si quidē res salsis quàm acetosis seruantur. Eff.catius sale quàm aceto. Neq; ideo quod febrilem calorem acuunt, ab eorum vsu cessandum est. Nam prudentis est inter damna minus eligere. Insuper præceptum est nobis à Gal. in de complicatis affectibus ad id quod vicem causæ habet, aut magis vrget, præcipuam indicationem habendam esse. Quapropter vtraq; ratione pestilenti contagio prius obstare debemus. Tanquam ei quod magis vrget, & febris futurę vicem habeat causę. Medici prętera cibos exiccantes ministrare iubent. Vt acetum, & multa quę potestate astringunt. Vt succus granatorum, arantij, acetosæ hærbę, & similia, quæ omnia humoris corrupti excretioni obstant. Corruptionem grassantem, magis quàm febrem & eius causam respicientes. Ad hæc in pestilenti febre diligenter prospiciendum est ventriculo, vt id quod assumit æger retinere possit, alioquin neque virtuti opitulari, neque morbo occurrere possimus. Quare eo me hęc adduxit ratio, vt mihi persuasum sit, salitos pisces ijs fore ex vsu. Si sint ex iis qui facile coquãtur.

Hos ſi quidem ventriculum valde exiccare, roborare, appetentiam excitare, ſitim immoderatam inducere, ſubuerſum ventriculum & nauſeantem componere certum eſt, cum hæc ſcriptis mandarem, mihi relatum eſt, chirurgum ſenem in Anglia ſolitum eſſe piſcibus ſalitis quos herinches angli vocant, peſtilentia laborantes fœliciter nutrire. Quorum ſi copia non detur eorum loco ex paruorum piſcium genere vtitor, quod ſal & fumum melius recipiat. Cæterum oportebit ab vſu ſalitorum piſcium ægrotantem admonere vt à potu hora vna abſtineat. Poſtmodum frigidam quãtum hauſtu bibere poſſit dato. Vſus huiuſmodi piſcium aduerſus humiditatem tenuem corruptam in ventriculo efficaciſſimus eſt. Quantum autem huiuſmodi ſaliti piſces ventriculum roborent, & nauſeantem reprimant, & appetentiam excitent, odor eorum declarat, quo non parũ ventriculi appetentia elicitur. Qui ergo iis aſſentit rationibus, eis vtatur aſſis in fuſis in aceto aut in ſucco acetoſæ hærbæ. Carnibus autem ſale conditis quibus borealior Hiſpaniæ pars vtitur, ob id quia duræ ſunt coctionis vti conſilium nõ eſt. Earum tamen ſucco cum decenter aſſæ ſunt vti melius erit. Spiritus abunde carnium ſuccus generat & ventriculum roborat. Proinde id ſummo opere cauendum eſt, ne eundem cibum toties offeramus vt eum faſtidiat æger. Quare oportet medicum diuerſa cibaria mente concipere, vt eorum ſingulis vtatur cum opportunum fuerit. Dulcia omnia & vnctuoſa & quæ calida ſunt & humida diligenter cauenda ſunt. Lentes cum multo aceto, & ſale croco,

& petroselino coctæ vt supra diximus conueniunt. Granata acida cum voluerit laboranti dato. Soleas conditas salsamento salubriter iis ministrato. Quas ita parabis. Lauato & sale eas conspergito, & oleo coquito, postmodum eas refrigerari sinito, eas tandem in acetum acerrimum infundito. Et frusta mali citrei & limonum & folia lauri proiicito, quantum earum copia poposcerit. Iis ad diem tertium vtere. Carnes ad hunc modum quæ sub renibus sunt vitulæ sale conspergito & in acetum acre cum origano & mali citrei aut limonum segmentis & alliis infundito. Ad diem quintum percoctarum ad ignem succis vtere vt supra dictum est. Quod si æger carnes huiusmodi ædere appetierit parum dato, & cultello minutatim incidito. Simili modo perdices, phasianos, & montanos, passeres condire possis.

CAP. XX.

EST quidem vnus è nostris qui cum de cibis & potibus ageret qui præseruant ab epidimia dixit. Non abscultetur opinio illorum qui dicunt allium valere quia falsa est, quia generat inquit fumositatem & super calfaciendo adiuuat ebullitionem & sanguinem adurit, ex quo adusto generantur apostemata mortifera. Sed non ab re fuerit an allia in pestilentia cõueniãt gratia præseruationis ĩuestigare. Et postmodũ an in cibis miscẽda sunt gratia curationis. Primũ illud quærendum an præseruandus ijs assuetus sit bona valitudine, quod si sic haud dubio dimittenda non sunt. Nam imprudentis fuerit hominis consuetudinem in pe=

stilentiali constitutione demittere. Nam eius demissionem efficacissimam morborum causam esse à peritissimis medicis ostensum est. Aegrotandi autem occasionē dare in pestilentiali constitutione stultissimum est. Quòd si ex ijs fuerit qui allijs aliquoties vtatur, & quandoque non (vt sæpe accidit) neque capitis grauitatem, nec præter solitum se calidiorem ab eorum vsu sentiat, huic profectò ad præseruationem pestilentis contagij allia ad ministranda fore prout eis alias vsus est censeo, præsertim si hyems sit. Hoc vt ostendamus experientiam alliorum in medium adducere non ab re erit. Messores æstate feruente incalescente sole post meridiem allia cū pane vorant, vt minus ab æstu offendantur, & in sudores eorum minus soluantur corpora. Nam allij vi continentis æstui fortius obsistunt, quàm ij qui eis vsi, non fuerint. Adde quod ab externo frigore idem corpora tuetur, & ei minus obnoxia ea reddit. Hos effectus allium sola vt agat qualitate fieri non potest. Nam in symbolizantibus facilior est transitus. Necesse est ergo hoc inesse allio ob id, quia calidum roborat naturale. Quo fit vt corpori validius dominetur. Ita vt ab externa causa quæcunque sit difficilius vincatur. Fieri quidem nequit vt exterior occasio in corpus humanum suam imprimat actionem, calido naturali valido existente. Quod cum ita sit, quis negabit pro pestiferi contagij aut cuius vis impressionis præseruatione, ea fore omni diligentia quærenda auxilia, quæ natiuū calidum roborare queant. Cunque hoc insit alliis, rectè ministrari ijs qui citra læsionem eis vescuntur quilibet sanæ men

tis concedet. Iis autem qui allijs vsi non sunt, pestilenti constitutione incipere eis assuescere, an rectum sit, apud me decretum non est. Nā calidis temperaturis & ijs qui gracili sunt habitu, præterea pueris, & imbecillibus, in summa ijs quorum facile digeruntur corpora, crediderim allijs in pestilenti constitutione primo vti incommodum fore. Qui autem crasso sunt habitu, aut frigido temperamento, & difficulter in halitus soluuntur, præsertim si hyems sit, eos arbitror ex vsu alliorum votum consecuturos. Iis adde allium à crapula & ebrietate optime præseruare, vt ab Hipp. & Gal. scriptum est.

4. de rōne victus.

Quantum autem crapula & ebrietas corpora ad quālibet impressionem externam suscipiendam disponāt, declarant malæ habitudines quæ ijs exinde nascuntur. Qui ergo inordinato vtuntur victu in pestilenti commorantes aëre, allium vorare sanum esse censeo. Quod si ijs addas illud Dioscoridis dicentis, magnæ & allio vtilitates contra aquarum mutationes, non solum via præseruationis sed gratia curationis concedenda esse allia recte colliges. Huic fortasse assenties opinioni, in mentem si reuoces, hanc febrem adeo pernitiosam esse, vt nostrorum medicorum quidam dixerit, remedia in hac febre cum temeritate esse sumēda, aliusque curationem Deo committat. Cunque medicamentis vtentes medici omnia & si temerarie tentare non vereantur, cur nobis idem non licebit, qui cibis tentamus. Minorique damno humani corporis si aliter eueniat, rem tractamus. Quod si eo tentemus quod longa experientia scimus naturale roborare calidum, appetentiam ventriculi excitare, co-

ctiones & reliquas naturales actiones acuere, cibumque corrumpi non sinere, quæ omnia in allio scimus esse, horumque omnium contrarium corpora pati à pestilenti febre, nonne ob iam dicta allium cum cibis ei qui pestilenti febre laborat citra temeritatem miscere nos iudicabis. Quod si allium ventriculum exiccare vt de eo scripsit Dioscorides consideres, in pestilentiali vero febre humiditatẽ prauam esse in ventriculo à qua omnes eius actiones corrumpuntur, præsertim qua cibus coquitur & ea qua retinetur, has omnes vtilitates ob id nihil faciendas esse rectum esse existimabis? quod allium plus iusto calfacit. Ego sanè ob id ab alliorum vsu non desisterem, sciens minus mali pati laborantes à caliditatis quàm à pestilentis putredinis additione. Si enim contra aquarum mutationes magnæ sunt allio vtilitates ob id quod naturale calidum roborat, hac ipsa de causa & cõtra mutationes aëris pestilẽtes valere haud dubium est. Naturale si quidem calidum cum potens est, humido naturali validius dominatur, extranearumque causarum impressioni fortius obsistit. Caliditas etiam allij in terrestri parte non est, vt caliditas rei amare, sed in parte aquosa quę statim in halitus soluitur, ab internis ad partes externas statim migrans. quod in pestilenti febre nõ parum conducit, vt alias demonstrabimus. Neque te dictum Hip. turbet, allium flatum parere, caliditatemque in thorace & capitis grauitatem & cibi fastidium facere. Nam contraria efficere, asserit Gal. ipsa experientia edoctus. Quinimmo ait capitis soluere grauitatem si post euacuationem detur. Omnibus igitur pestilen-

In 4. de rõne victus

ti febre laborantibus allij virtutem in cibis miscendam vt saluberrimum consulo. Vt exiccatione sua, naturaléque calidum roborando, corruptioni exicialiter grassanti obstet. Et vt videlicet quod corruptum est aut per vias vrinæ, aut suo violento motu ad circunferentiales partes detrudat. Et non minus symptomatum ventriculi gratia, nempe vomitus, & ciborum abominationis. Cæterum scire oportet, omnibus nec similiter nec quantitatem eandem fore exhibendam. Sed cuilibet pro consuetudine & vehementia febrilis caloris, pro ætate, tēperatura, & anni tempore. Sed vt ijs morem geramus, qui cum de aliqua re plura commoda & magni momēti audierint, ob aliquam & si leuissimam qualitatem cōtrariam, eam tanquam infestam damnant, nō considerantes difficile esse aliquid inuenire quod citra læsionē magnifice prosit, vt Gal. prudenter scripsit in libris de methodo medendi, libet igitur ea quibus allij caliditas refrangitur referre. quam ob rem illos ob id bona esse mēte hortamur. Allij caliditas coctione plurimum euanescit, vt scripsit arabum præcipuus medicorum Auicēna. Quare qui allio integro vti vult, citra aliam præparationem simul cum cibis coquat. Quod si frangere quis velit, in acetum aut in succum acetosę die vna infusum sinat, postmodum vtatur. Nec silentio prætereundum est, commodum quod ab allio ij qui pestilenti febre detinentur habent. Formidinem pellere de eo proditum est, præcipue in decoctione oliuarum & nucis, vt tradidit dictus vir, qua vt ait vtuntur christiani. Pro comperto est eos qui pestilenti febri detinentur, ab hor-

rida concuti formidine quæ omnium maxime animi motuum spiritus absumit. Quod inhibere modo quo possit curabit pius medicus. Iudico igitur allium in omnibus edulijs quæ pestilenti febre laborantibus offeruntur commode misceri. Opinor'que non solum fore innoxium, sed ex eo quàm plurima sequi commoda. Ad natiui caloris robur, & grassantis pestilentis contagij inhibitionem, & ad corrupti humoris ex omni parte cutem versus expulsionem. Vnus è nostris medicus sal cōmendat, dummodo tantum non sit vt sitim inferat. sed paucis agendum est cum nostro medico. Si sitim inducere noxium est, similiter ea cēsenda sunt noxia quę hanc nata sunt efficere. At talia sunt omnia quæ corpus exiccant. Cibos igitur qualitate exiccantes dānabit. Quapropter humidos laudabit. quos & ratio & experientia in pestilenti febre noxios esse monstrāt. Cum igitur periti medici cibos exiccantes laudarunt, necesse est vt quod ex ijs necessario sequitur non damnent. Quinimo si rem exactius tractemus inueniemus, ea fore exhibenda quæ ventriculum exiccare, & sitim inducere valeant. Exiccatio enim quæ effatu digna est, & sensu percipitur, sitim infert. Quæ citra hanc fit, parui aut nullius momenti est, vt pote ob imbecillitatem sensum immutare non valens. Humectum autem & nimis laxum ventriculum prout in hac febre est, non vtcunque exiccare oportet, neque paulatim id agere tentandum. Nam ægritudo maxime exitialis (vt hæc est) præsentaneum exigit remedium. Exiccandi igitur eorum ventriculi adeo sunt, vt exiccatio sitim valeat in=

ducere. Per hoc enim humiditates quibus pestilens cõtagium primo concipitur & alijs communicatur exiccabuntur. Humectus præterea præter modum ventriculus & relaxatione laborans, & ob id cibum cito euomens, tali exiccatione curabitur. Meliusque retinebit ea quæ ingeruntur ex cibis & potibus. quod non parui momenti est in huius febris curatione. Cuius gratia salitos pisces supra concessimus, vt qui maxime ad vo-
22. Continentis. mitum valent. Vt scripsit rasis in hæc verba. Pisces inquit saliti calidi sunt & sicci, incidunt phlegma, & cõferunt vomitui eo quod emittunt phlegma viscosum de stomacho. Et quanto vetustiores tanto magis calidiores & sicciores. Sed laudabiles ij sunt qui condiuntur cum aceto hæc ille. Actio præterea facultatis quæ potum appetit salitorum piscium siccitate acuitur. Vnde fit vt frigidam appetant, bibant & retineant, quæ non parum iis prodest. Sunt præterea huiusmodi exiccantia vt signum appetentis facultatis quæ in ventriculo est, nempe superstes sit an mortua. Si enim adhibitis iis quæ exiccant & sitim valent inducere, laborantes non sitiant, signum est appetentem ventriculi facultatem mortuam esse. quod in pestilenti febre non raro contingit. Vanum ergo est sitim vereri in hac febre, ob id quod aliis in febribus ægrotãtibus sitire noceat. Neque ideo quod contra sitim multa tradiderunt medici remedia vt Hip. in libris de ratione victus in morbis acutis, in pestilenti febre ea prohibenda esse quæ sitim inducũt opinandũ est. Sed neq; obscurũ erat ex præceptis medicorum intelligere, alia fore incuratione pe-

ſtilentis febris methodum obſeruandam, ac longe diuerſam ab ea quam alijs in febribus tradiderunt. quod ex cibis exiccãtibus, & ex ijs quæ aſtringunt, & ex craſſo victu, & ex eo quod in hac febre vt comedant & bibant ęgris perſuademus. Quæ omnia alijs in febribus diligenter prohibemus. Sal igitur tantum edulijs miſcendum eſt, quantũ ſano homini ſitim inducere valeat. Vnde celſo ſitim excitandam eſſe in hac febre recte viſum eſt. Sunt qui vinum prohibeant, alij qui ſuadeant, album'que conſulant, ſic temperantes. Vini pars vna, aquæ partes quinque. Qui exhibendum putant, dicũt familiare humanæ naturæ vinũ eſſe, imbecillitatibus'que ſubuenire, ſpiritus materiam abunde miniſtrans. quapropter in peſtilẽti febre vbi magna fit ſpirituum exolutio miniſtrandum fore. Et quia calorem & commotionem timent ob id multa aqua diluunt. Ego vero potum quem ſolummodo morbus ipſe indicat, referam. quẽ enim ægrotantis vires, & conſuetudo indicent, abunde in ſuperioribus ſub vniuerſali ſermone tradidimus. Hic ſolum potũ curantẽ indicatione ſolũmodo ab ipſo morbo ſumpta apponemus, vt in ſingulis febrium ſpeciebus fecimus. Cæterum quicunque potum noſſe cupiat qui Socrati quauis febre laboranti conueniat, percepta virium diſpoſitione, & viri conſuetudine, habito ſimul potu quem in ſingulis febribus appoſuimus, ad tabellas quas ſupraſcripſimus recurrat. Ab eis iuxta ea quę ibi tradidimus documenta facile conuenientem potum quiuis eliciat. Quapropter non eſt quod hic de potu diſſeramus qui peſtilenti febre imbecillitatis virium aut cõ

ſuetudinis ratione conueniat. Curantem potum diximus eum qui morbo aut eius cauſæ contrarius ſit. Proinde cum in iis quæ ſupra diximus oſtenſum ſit, curantem potum eum eſſe qui morbo aut eius cauſæ contrarius ſit, peſtilentem'ꝗ febrem immoderate calidum & humidũ corpus humanũ reddere & ſingulas eius particulas potum frigidum & ſiccum conuenire huic febri ſumpta ſolummodo indicatione ab ipſo morbo haud dubium eſt. Non immerito igitur nonnulli aquam cum aceto in potum peſtilente febre laborantibus conceſſerunt. Ego ſuccum mali granati acidi defœcatum, potũ huic febri conuenientem eſſe arbitror. Cui ſi aquam plantaginis aut acetoſę miſcere velis nihil nocueris. Modus ſit vt aquæ partem vnam, ſucci duabus miſceas. Quod ſi ſucci mali granati non detur copia, ſic agito. Capillorum veneris aut politrici mañ. duos, berberorum tres, coquito in decẽ libris aquæ ad tertias ægrotanti propinato. Cæterum ſcire oportet in peſtilenti febre laborantium virtutes ſemper vrgere, tum ob inceſſantes vomitus, tũ maxime ob ingentem ſpiritus exolutionem. Hanc medicorum nonnulli reſpicientes vinum miniſtrandum ſuadent. Vt celſus qui vinum calidum meratius dare iubet. Qui uero ad morbum magis mentem dirigunt, vinum recte prohibent, aquam'ꝗ mixtam cum aceto miniſtrant. Cæterum cum vrgentis virtutis aut conſuetudinis ratione, vinum miniſtrare oporteat, cum ſucco mali granati aut aqua berberorum miſcebimus. Aut cũ aqua plantaginis, aut acetoſæ ſi illorũ non detur copia. Modum iuxta rationem indicantium ex

tabellis inuenies. Cæterum quia in pestilenti febre accidit laborantibus nauseantem vt plurimum habere ventriculum, ita vt statim quæ deuorant aut bibant vomitu eijciant, incassum nostræ forēt de cibo & potu lucubrationes, nisi ea addiderimus quæ extra posita ad retētionem ciborum & potuum iuuent. Hæc autem sunt frigida astringentia, quæ non solum ad id, verum ad infectionem pestilentem à ventriculo repellendam non parum proderunt. Succi cimarum tenerrimarum vitis, aut vuæ acerbæ, partes tres, succi semper viuæ maioris partes duas, aceti decoctionis absinthij & mentæ partem vnam, & semis, cinamomi parum, misceto. Apponito multoties spōgiam dictis succis frigidis madentem ventriculo, ante cibum.

Panem assum vino odifero madentem modico cinamomi super asperso, ventriculo apponito. Lintheum multipliciter plicatum succo vuæ acerbæ madentem desuper imponito. Præterea aceti acerrimi partes tres, olei rosarum ex oleo immaturo partes duas, succi citoniorū partem vnam, misceto tandiu donec crassescat, & permixtum sit, vtere vt supra, efficacissimū est. Vsum camphoræ in ijs epithematibus quæ ventriculo apponuntur non laudo. Ea siquidem quæ præter modum refrigerant citra astrictionem, principi parti apponenda non esse, rationalis docet methodus. Sed de his alibi. Aceti acris vntiam vnā, pulueris reubarbari tosti drachmā vnam, misceto & ita esse sinito per diem & noctē. Postmodum vtere cum aqua rosarum vt supra. Nec prætermittendum est eisdem epithematibus multoties vten

dum non esse. Cunque nouum epithema apponere volueris, exiccare ventriculum lintheo oportet vt vestigium præteriti non sit medicaminis.

CAP. XXI.

Febris colliquantis victum infrigidantem & modico astringentem & crassiorem quàm pro morbi ratione esse oportet. Id sicut & reliqua ab Hip. discimus qui cum de febrium curatione ageret cũ aluo liquida absumente & contabefaciente corpus, ijs sorbitiones frigidiores & crassiores exhibẽdas docuit. Potus'que vinosiores & astringentiores delirio non obstante propinare iubet. Vnde colligimus, eum esse in colliquante febre victum exhibendum, qui corporis dissolutioni valeat subuenire, & si in morbum aut eius symptomata addere videatur. In tertio cum de mulsæ agat nocumentis, signa liquefacientium febrium in hunc modum scribit. Biliosa quoque alui deijcit magis interdũ quidem bona sed interdum quam decet redundantiotiora, spumãtioráq; quod biliosis magis, & his quibus tumefacta sunt viscera contingit. Magis præterea quę dilutior est sputum educit, magis'que pulmonem lenit. Meratior vero spumosa excrementa atque plusquam conuenit valde biliosa calidioráque quam dilutior agit magis. Deiectiones autem huiusmodi habẽt quidem & alias quæ graues sunt offensas neque enim hypocũdriorum extingunt ardorem sed excitant, inquietationem'q; & membrorum iactationem faciunt, intestináq; & sedem exulcerant. Qui ergo in morbis huiusmodi relictis sorbitionibus mulsa potius alterius vice, vtetur, is

In 4. de rõne victus

si multa fœliciter consequutus fuerit, nonne & multa ei succedent præter animi sententiam. Quibus in verbis Hip. duplici nomine taxauit antiquos medicos, tum quia sorbitiones liquefacientibus in febribus demittebant, tum quia alterius potionis vice, mulsa vtebantur. Quod autem alias in huiusmodi acutis febribus exceptis liquefacientibus sola mulsa ad iudicationem vsque ægrotantes alat, Gal. docet in hæc verba. Significauit & nunc manifestissime ad morbi vsque iudicationem, sola vti mulsa consulens, nempe in solis qui colliquefaciũt morbis, vel in quibus hominum virtus ad morbi vsque iudicationem sufficere non possit, ad ptisanæ cremorem perueniemus. In alijs vero sola mulsa est commodius. Quod autẽ fluxus ventris syncere biliosus spumosusq́ꝫ liquefacientem febrem indicet, asserit Gal. in expositione illius, quę dilutior est sputum educit magis, cũ inquit. Hipp. igitur non immemor cum vel ex mulsa epota vel absque ipsa quis spumosa simul & syncere biliosa deiecerit, febrem scieris esse quæ liquefaciat & ad tabẽ perducat &c. Quare hos tali cibo nutries. Sumpta in presenti à sola corporis dissolutione indicatione. Victum vero iuxta febris acumen conueniẽtem, ex ijs quę in superioribus diximus colliges. Quæ dissolutioni corporis obstant triplicia sunt, nempe quæ corpus & quæ humorem respiciunt, & quæ vtrunque. Ad primum modum spectant ea quæ multum præstant corpori nutrimentum, & facilis coctionis sunt. Quęcunqꝫ potestate infrigidant, secundum. Infrigidantia vero cibaria quęcunqꝫ astrictoria participant vi, tertium, opti-

mus igitur in colliquantibus febribus cibus fuerit is, qui corpus nutriat infrigidet & modice astringat. Capũ igitur iuuenem crassum ita coquito. Hordei excorticati mañ. tres, vuæ acerbæ, portulacæ, plantaginis, viridis coriandri, singulorum vnum, bulliant simul, deinde collato ius, cuius accipe partes tres, succi granatorum acidorum partem vnam, sorbitionem cum pane crassam conficito. Panis infusus in succum granati acidi conuenit.

Ptisanam hordei non collatam parato in hunc modum. Duos pullos crassos coquito cum tribus hordei excorticati pugillis, portulacæ vno, modicum antequam ab igne amoueas, immittito granorum mali granati acidi pugillum vnum, sinito vt coquatur tandiu quod rumpatur hordeum & tenerrimum fiat, extrahito deinde hordeum, & adiecto pauco zucaro administretur iis quorũ virtutes ob imbecillitatẽ laborãt. Conuenientissimus cibus fuerit iis qui colliquantibus febribus laborant. Infrigidat, roborat, & facillimæ coctionis est. Aqua frigida cõmodissimus iis potus & remedium est, vtrunque respiciens & corpus & humorem. Ad quã exhibendam exiguæ coctionis signum spectandum esse nos docet Gal. quarto de ratione victus & in libris de Methodo. Mel iis aduersissimum esse ab eodem didicimus. Sciendum præterea rectam victus administrationem & frigidæ potum, præcipuum esse ad liquefacientes febres remedium, parumque auxilii præstare medicamenta. Quare diligenter obseruandum est, vt boni sint nutrimenti, & facillimę coctionis cibaria, quę

In fine 10. de Metho.

iis offeremus. Quibus cum admiscere ea quæ refrigerare & parum astringere valeant vtile erit. Optimus quod omnium quem sciam, his cibus est, ptisana hordei eo quo diximus modo parata. In ea si quidem omnia quę necessaria sunt, insunt. Boni nutrimenti est, facilis coctionis, infrigidat, parumque astringit. Quæ enim insigniter astrictoria vi pollent, ex eo incommoda sunt, quod causam morbificam intra corpus detinent, cum ad omnem euacuationem vias obstruant.

CAP. XXII.

MOrbillus & variola differunt, morbillus in cute est instar morsus pulicum, à sanguine nimis bilioso ortum habens. Variola cutē magis in tumorē attollit, diuersique coloris est. Albæ visuntur vt plurimum, quandoque citrinæ, raro nigræ plumbeæ. Morbilli consimiliter non vnum seruant colorem. Proinde variolæ à sanguine nimis aquoso fiunt. Inter morbillos & variolas in eo cōuenit, quod vtraque pustula ab ebullitione sanguinis fit, natura prauum ab eo quod purum est separante, & ad cutem detrudente. Quapropter à tali expulsione naturā, crasso cibo aut multo aut duræ coctionis, tunc temporis distrahēdam non esse recte quis colliget. Vt vero opus melius compleat, & ab internis ad cutem versus cōmodius noxios humores depellat, & ne in aliqua interiorum partium humor detineatur, cibum parum infrigidantem leuiter astringētem his ministrare oportet. Qui enim huiusmodi est, particulas roborat, vt validius à se quod contristat depellant. Vim præterea repellendi calidū humorem habet.

Quapropter ius Hispanarum lentium cum acetosa hærba viridi coriandro, oleo, aceto, & sale, & modico croci ijs conuenit.
Cocurbita etiam cocta cum portulaca acresta, oleo, aceto, & sale.
Ptisana prout parauimus supra in colliquantibus febribus commodissima his sorbitio est. Fugienda omnia ea sunt quæ aut sanguinis copiam augeant, aut in eius ebullitionem addant. Quare inter initia dummodo vires constent, gallinaceorum iura vitanda sunt, & omnia dulcia & vnctuosa. Facta euacuatione totius nisi copiose erumpant, bonum erit in cibis minuere ea quæ astringunt, & eorum quæ aperire valeant, aliquid imponere, vt folia apii, aut petroselini. At cum eruptio subsidere iam incipit, bonum est in cibis ea quæ ventrem leniunt miscere. Vt prunas, violas, borraginem & similia. Prunis autem quæ astringente participant facultate, cuiusmodi gallica sunt & Hispana, per omne tempus vti licet decoctis cum politrico plantagine aut portulaca. Potus autem ijs qui patiuntur morbillos aut variolas, sit aqua hordei cum politrico & malo granato cocta. Sunt qui lactucas decoctas in aceto, medullam citruli, & anguriæ ijs qui variolas aut morbilos patiuntur exhibeant. Sunt & qui aquam anguriæ in potum ministrent. Sed quantum sentio, huiusmodi cibaria his damno potius quàm iuuamento sunt. Quandoquidem expulsioni naturæ obstant, & eruptionem pustularum retardant sua vehementi frigiditate. Nam huiusmodi ab intro ad cutem expulsiones à natura fiunt, ma-

teria ob ebulitionem eo inclinata, vt pote iam in vaporem transeunte ob substantiæ eius tenuitatem. Quapropter sicut ijs quæ calida & fumosa sunt augenda ebulitio non est, sic nec ijs quæ valde refrigerant extinguenda. Solum igitur ea ministranda sunt quæ modicum refrigerent & astringant. Vt per hæc roboratis siue in se collectis particulis melius fiat ab intro ad extra expulsio. Quapropter ficuum aridarum exhibitionem in ijs qui morbillis aut variolis laborant, vt pluribus nostrorum medicorum visum est, ob id quod malas materias extra pellunt, nō probo. Nam ob id ipsum quod caricas commendant, ego damnarē. Aiunt earum vsu materias ab intro ad extra pelli. Cuius argumentū esse scabiē ex earū īmodico vsu euenientē aiūt. Sed profectò vt opinor ipsa decipiuntur experientia. Nō enim id agunt caricæ quia malos humores ab intro ad extra pellunt, aut quia sanguinem mundificant vt opinantur, sed quia eum nimis calfacientes, ebullitionis modum ei præstant. Vnde accidit vt id quod in fumum aut fuliginem ob calfactum sanguinem versum est ad cutem à natura detrudatur. Quare non immerito vulgus fert, caricas scabiem & pruritum peculiariter inducere. Quapropter eas pueris & iuuenibus prohibent. Quod autem nimis calfaciunt, docet Dioscorides qui eas sitim inducere asseruit. Rasis etiā tertio Almāsoris ex multo earum vsu fieri pruritum & pediculos affirmauit. Nec id alicui admirationi sit. Nam in ipsis est occultū lacticiniū vt recte sensit Auicen. Haliabas ēt 5. theoricę, cap. 19. eas ī colericos mutari humoris scripsit. At 18. 3. trac. 2. cap. 12.

si in ventriculo humores superflui fuerint, inquit ille dura fit ad digerendum carica, & ad corruptionē mutatur. Et inflationem ventositatemque generat, & pessimum sanguinem. Auicenna similiter idem asseruit in hæc verba. Et sicca quidem inquit in suis operationibus laudabilis est, verum tamen sanguis generatus ex ea non est bonus. Verum id est, aridas ficus nimis abstergere, aperire & incidere. Quapropter commendantur à Gal. secundo alimentorum cap. VII. præcipue cum nucibus & amigdalis. Vtcunque res habeat caricas ob earum superfluam calfactionem vitandas esse in morbillis in caloris febrilis præsentia opinamur. Senibus tamen frigidis natura, vbi eruptio nimis diminuta est, vtiles sunt & secure concedi possunt, præsertim in remissione caloris febrilis. Sua enim arida ficus apertione, subtiliatione, calfactione, humores adeo attenuat vt ad cutem facile ferantur. Vnde variolas tunc temporis absque læsione euocare solet. Quod Petrus aponensis vir disertissimus asseruit, de morbillorum & variolarum curatione agens.

CAP. XXIII.

ET vt speculationi huic nihil desit, non ab re fuerit de eo victu disserere quo vulgus vtitur in variolis & morbilis, nempe salitis piscibus. Siue enim ab ipsa experientia percepto cōmodo, siue ratione id ostēdente, apud lusitanam plebem salitorum piscium vsus lōgæuus obtinuit, vt parua aut nulla medicis fides adhibeatur contrarium suadentibus. Aliud tamen vnus è nostris medicus natione Italus sentit, piscium salitorum

vsum in morbillis & variolis reprobans. Nam vt ille ait apud non nullos è plebe Itala aut scholares opinionem esse, in variolis recte ministrari. Verum si ab Aristotele recte dictum est, non vanam esse omnino famam quam vulgus ferat, non vanum vtique erit inquirere an rõne aliqua qui salitis piscibus in variolis vtitur initatur. Percipimus ex quottidiano vsu salitos pisces pruritum inducere. Siue id salitorum piscium substantiæ cõcedas, siue caliditati & siccitati eorum, quibus ebulitionem sanguinis excitant. In omni autem ebulitione constat crassos humores in tenues solui, tenues in fumum digeri, fumos & fuligines ad cutem migrare. Huncque esse modum quo generatim salita edulia pruritum ob qualitates inducant manifestas. Siue id eorundem substantiæ in vaporem digestæ, rapidæ ad cutem lationi ob salis incisiuam qualitatem & acutam penetrationem tribuas. Quod non nulli caricis in esse firmiter credidere. Siue vtrunque simul in causa sit. Verum est salitorum piscium vsu, ab internis corporis partibus ad externas non nullorum excrementorum lationem fieri. Quod cum ita sit, dubium non est quin aliquando in iis morbis salitis piscibus locus sit. Nempe vbi natura segniter opus expulsionis aggreditur. Id autem si præter naturæ imbecillitatẽ accidat, aut deferuescẽte ebulitione fiet, qua iuuatur natura vt melius excrementa ad cutem detrudat, aut ob crassos & lentos humores ad expulsionem talem ineptos, aut ob viarum occlusionem. Quodcunque horum trium adsit, aut omnia, pisces salitos prodesse ratio demonstrat

& ob caliditatem & ſiccitatem ſalitorum piſcium, & non minime ob eorum inciſionem & acutam penetratio nem. Cum ergo in frigido natura corpore non ſatis va riolæ erumpant ob aliquam trium dictarum occaſionũ, febrili calore non obſtante, dandos eſſe piſces ſalitos cũ plebe ſentio. In ſucco tamen acetoſæ per diem inte= gram eos prius macerare oportet. Sit́que mediæ ætatis ſalitura, quanto enim antiquiores ſunt, eo calidio= res & ſicciores euadunt. Vt ſupra oſtenſum eſt. Ad hæc piſces ſaliti partes corporis ob ſalis compreſſionẽ in ſe inuicem collectas roborant. Quod ſiccis ſicubus non ineſt, quinimmo contrarium. Id vnum eſt ex iis quæ cũmulatiorem efficiunt expulſionem. Quod cibis ineſſe qui in variolis miniſtrantur, ſupra optauimus. Prẹterea ſi eueniat vt ſit, puſtulas intro erumpi, profectò nullo medicamine efficacius rumpes, ſaniem purgabis, exicca bis, putredineḿque inde emanantem nullo alio citius caſtigabis, ne vlteriorem concipiat corruptionem, ſanas tandem particulas nullo alio quàm ex ſalitis piſcibus ci bo incolumius, ne emanantis corruptionis contagio affi= ciantur, ſeruabis. Nec ab re fuerit, vt cum intro erum= puntur, pro earum maturatione ficus aridas primo vo rare, deinde piſcibus vti. Meminiſſe tamen oportet in morbilis cauendum eſſe piſcium ſalitorum vſum. Et in iis qui calidi & ſicci ſunt natura. Vt igitur ſummatim dicam vbicunque eruptio incompleta eſt, ſi craſſi & lenti humores, aut viarum obſtructio in cauſa ſint, fe= bre non obſtante, nec calido & ſicco hominis tempera= mento, ficus aridas & ſalitos piſces audacter miniſtra

to. Nec audienda est illorum sententia qui salitorum piscium vsum ægris non conuenire scribunt. Nam absurdum est putare contraria salitorum pisciũ qualitate ægros affici non posse. Præterea tertio Almansoris scriptum est salitos pisces nullo modo fore ministrandos nisi in die quo aliquis sibi medicari voluerit, hoc est non cibi sed medicinæ gratia commendandos esse salitos pisces. Quod Auicenna asseruit cum dixit vnum est quod ipsorum nutrimẽtum est malum, vnde plus via medicinæ sunt accipiendi quam via cibi. E piscibus salitis laudauit Gal. sardam cum ait in tertio de alimentorum. Pretiosissima est sardæ salitura.

CAP. XXIIII.

Hemitriteus verus, nempe quottidiana continua, & tertiana interpollata, mediæ rationis victum exposcit. Hunc dico qui subtilior sit quàm qui febribus interpollatis conuenit, crassior vero quàm cõtinuis ab vno simplici humore. Cum singularum qualibet lõgior sit. Cunque naturæ duobus qualitate & substantia contrarijs humoribus pugna sit, viribus & tempore indiget vt ambos vincat. Vtriusque igitur causa, nempe vt ad longum seruetur tempus, & vt vires contra vtrunque hostem habeat, ampliori opus habet alimonia. Cunque in superioribus in singulis febribus cibis ea miscuerimus quæ peccantis humoris qualitates reprimant, oportebit in hemitriteo aut simul ea quæ contrariarum sint qualitatum, miscere, aut cibis vti temperatis. Ea quæ alterum illorum solũ respiciũt administrare non licet. Nam vtriusq; febris medicus sit solicitus opor

tet. Cibum temperatum dico qui à naturali calido solum patitur. Hunc hemitriteo laborantibus idoneum non esse ex eo intelliges, quod sanguinem qui ab eo in febribus generatur vitiosæ fore qualitatis necessum sit. Nam in tertiana febre ob bilis putrescentis calorem & acredinem, pars effectiua sanguinis extra naturalem tẽperiem est, nempe calidior & siccior. quapropter cibus temperatus ob id quod à naturali calido solum patitur, nec particulæ intemperiem contrarijs qualitatibus valet corrigere, eisdem afficietur. Quare sanguis qui ab eo generabitur calidior & siccior euadet, pro visceris intemperie. Qui statim paulo momento in bilem vertatur. Simile iudicium in febre quæ à pituita corpus præter naturaliter humectum efficiente, ortum habet. Quapropter miscenda sunt in cibo, quæ contrariarum sint qualitatum, aut id accipiendũ in quo vtraque qualitas reperiatur, quod magis probo. Quod si præter hæc incisiuum id sit, ante alia eligendum. Simpliciũ medicamentorum vnum est acetum, quod præfatis sit facultatibus insigne. Vtrique enim conuenit humori, partibus insuper tenuibus præditum est, quibus incidit. Quapropter si id cum eo quod abstergere valeat miscueris, habebis id quod quærimus. Moderate abstergentium Zucarum vnum est, quod febricitantibus plus conuenit. Quare mixtionem ex Zucaro & acri aceto quam syrupum acetosum medici nuncuparunt, hemetriteo maxime conuenientem esse putato. Quo vteris in hunc modum.

Thymi, petroselini, hordei ab vno cortice exuti, singulo

rum mañ. vnum, passularum enucleatarum vnum, corticem vnum raphani linguam vellicantis, salis parum, bulliant cum pulla crassa quantum satis, huius decocti accipito lib. vnam, syrupi acetosi acris quantum tollerauerit ægrotantis palatus. Iterum bulliant quousque misceantur, dato vt bibat cum oportuerit, ex reliquo fac sorbitionem. Hac vtere ante accessionem vehementiorem, & in eius inclinatione, in die vero mitiori eisdem vtitor, pullæque extremitates ægrotanti ministrato. Siluestrem capum qui escam pererrans quæritet, coquito cum hordeo, radicibus apij, aceto, & sale, fac vt supra. Succi violarum mediæ magnitudinis vntias tres, piperis nigri grosso modo contusi grana triginta, infundito in succum violarum & ita esse sinito quousque transeāt dies tres, postmodum cum iure misceto ita vt ad vntias decem iuris, vntiam vnam succi imponas. Et quia violarum succus omni tempore haberi non poteſt, succus simul cum pipere coaguletur, & ad formam trociscorum reddatur, vt singuli drach. vnam contineant. Mixtionē ex pipere & succo violarū magni esse iuuamenti in hemitriteo in quo pituita & bilis pares habēt vires compositio ostendit. In eo enim in quo alter humorum superat, nec verus, nec certus hemitriteus dici poteſt. In quo vero bilis & pituita pares sunt robore, quem verum & certum vocamus hemitriteum, meminit Hip. in libro de morbis vulgaribus, horrificam febrem hemitriteum vocans, quia multoties in accessione vna febricitantes horrescant. Nam horror medius est, inter rigorem quem bilis, & frigus quod pituita inducit.

Cunque alter humorum ſuperat, ita rigoris vel frigoris plus ſit horror particeps. Quod ſi humor qui præualet in hemitriteo pituita fuerit, hoc cibo vtere. Pullam aut capum cum hordeo, radicibus apij & ciceribus, aceto & ſale coquito, fac vt ſupra. Ptiſanam cũ radicibus apij coctam, pipere & oximelite optimam ijs eſſe ſorbitionem iudicato.

Quod ſi bilis ſuperior fuerit, ita vt horror plus ad rigorem accedat. Pullam aut capum cũ hordeo epatica thymo petroſelino & apij radicibus ſale & aceto coquito. Aqua hordei cum radicibus apij cocta, conueniens potus eſt verum patientibus hemitriteum. Iis vero in quibus pituita ſuperior eſt, aqua decoctionis radicis apij & ſeminis fœniculi dulcis. Potus vero qui hemitriteo laborantibus ratione virium & conſuetudinis competat, ex potus tabellis quærendus eſt. Iis vero qui hemitriteum pituitoſum patiuntur, ſi temperamẽto ſint frigido, non ab re erit radiculam Zinziberis in cibis & potibus addere, vt ſimul integra bulliat. Eſt vnus ex arabibus medicis qui hemitriteum patientem alit in die acceſionis cucurbitis, ſpinacijs, attriplicibus, & ſimilibus. Sed errat quantum ſentio duplici ratione. Altera ab ipſa natura corporis ſumpta, altera ab ipſo cibo. In hora in qua natura intenta ſeparationi eſt, frigida exhibenda non ſunt cibaria, ne ſeparationi naturæ obſtent, & ne expulſionem periodicam quæ ab internis partibus ad exteriores fit, ad contrarium repellant poros que occludant. Quorum cauſa paroxiſmus longior efficiatur. Vt ijs, qui diligenter ci-

bariorum

uariorum naturas quid singulis horis valeant efficere scrutantur, manifestum est. Iis adde cibos qui ex hærbis oleribusue parantur corruptioni ob noxios esse, ex eo quod aquosum generent sanguinem, qui promptissime calorem extraneum concipiat. Prudentis consilij igitur non est, huiusmodi cibos tunc ministrare, cum causa corrumpens validior est. Non aliter q̃ si ignauum & imbecillem militem strenuæ inimicorum cohorti obijcias. Sed de hoc abunde supra diximus, vbi ostendimus cibum ex hærbis aut oleribus inutilem esse acute febricitantibus. Eosque in ægrotantium damnum errare, qui citra occasionem hærbis in cibos frequenter vtuntur. Grauiusque eos peccare, qui ante accessiones hærbas aut olera ministrant, putantes se scopum attigisse. qua in re nostrorum medicorum plurimi quottidie labũtur. Quando autem hærbis & oleribus in cibo vtemur infra deo inspirante dicemus.

CAP. XXV.

FEbris in qua exteriora frigent & calent interiora, à bili putrescente ortum habet. In qua febrili calore phlegmata crassa in exterioribus existẽtia dissoluente, accidit, partes externas infrigidari, æstuãtibus internis. Subtili ideo indigent victu, quia febrilis calor multoties in seipsum reduplicatur trãspiratione prohibita. Quapropter periculo non vacat hæc febris, sicut cum à reuocatione natiui calidi exteriora frigẽt. Cibus ijs conuenit refrigerans. Cui misceantur ea quæ aperire & valenter incidere valeant. Post calidam & asperam totius corporis fricationem, hunc febricitanti

cibum ministrato.

Ptisanam cum radicibus apij & petroselini & lenticula aquæ parato, coquitóque sufficienter. Et cum syrupo acetoso, aut oximelite ægrotanti si frigida sit natura ministrato.

Alium, coquito pullam eisdem hærbis, folijs raphani, hordeo & aceto fac potionem & tenuem sorbitionem. Præterea infundantur in libra vna aceti acerrimi, ficuũ siccarum lib. vnius tertiam, sinito per diem & noctem, postmodum colletur. Huius aceti vntias tres accipito, aquæ decoctionis radicis apij lẽticulę aquæ vntias quattuor, Zucari quantum sufficit, coquito & fac syrupum acetosum ijs conuenientem. Cũq; hæc febris ab vno simplici accidit humore, vt à pituita valde crassa, quæ putrescens exteriora non valet calfacere, aut suæ crassitiei aut leuis putredinis occasione, ad febres phlegmaticas aut melancolicas aut colericas pro victu eliciendo recurrendum est. À singulis enim prædictorum humorũ originem posse habere, doctissimis viris placitum est.

Vnde bene dixit arabs, tu vero inquit non debes ad paroxismos respicere, nam potest esse quod sit quottidiana, tertiana, & quartana, & quæ quinto, & septimo periodicant. De ijs vero quibus à reuocatione caloris ad intro, accidit infrigidari in febribus extrema, alibi nobis sermo erit. Est alia febris in qua exteriora calẽt & interiora frigent. Quæ ab aliquibus empiala nominatur, à non nullis liparia ab aliis tenedos, sed nomĩna secundum Platonem contẽnere oportet eos, quibus aliarum rerum incumbit inuestigatio. Hæc accidit cum

à putrescente bile caloremque febrilẽ excitãte, phlegmata crassa in interioribus concreta dissoluantur. Accidit vt iis solutis partes internæ frigefiant. Victus iis copiosioris alimoniæ exhiberi potest. Minus enim periculosa hæc ægritudo est, vt pote præternaturali calido in externas solum sẹuiente ptes. Miscẽda igitur ea sunt quę valenter incidãt & abstergant cũ mediocri calore. Quapropter ijs cibis vtere, quos hemitriteo phlegmaticæ conuenire diximus.

Gallus antiquus post lõgam dimicationem cum altero, occidatur. Coquaturque cum hordeo, passulis enucleatis, pulegio, hyssopo, thymo, & violis, temperetuŕque cum oximelite acri, propinato quantum vno haustu sorbere possit, sorbitionem ne facias.

Præterea in aqua hordei conficito sorbitionem ex furfure & fermento vt supra docuimus in febribus phlegmaticis. Sunt qui hanc quoque febrem à simplici pituita quæ non putriuit secundum totum euenire affirmẽt. Sunt & qui à melancolia. Quorum victus sunt ex supradictis petendi. Hoc tñ proprium ijs febribus inest. Oĩa nẽpe quæ aperiendo exiccant ijs febribus incõmoda ideo esse quod materiam crassiorem reddunt. Quæ magis tenues sunt partibus, in halitus digestis. Cunque febrium quæ calorem & frigus simul operantur materias, crassos humores esse medici asserant, fit, vt qui ius cicerum & muriã ijs concedunt, febricitantibus parum salubriter consuluisse. Rectius profectò fuerit, ijs vti, quæ humida existentia, abstergere & incidere possint. Cum igitur huic febri à simplici pituita dependente ob

uiaueris, præsertim in homine frigidæ naturæ hunc ci-
bum ministrato.
Senescentem gallum prædicto modo defatigatum para
to ad hunc modum, chamemeli mañ. vnum & semis, fi-
cuum aridarum, passularum enucleatarum, singulorum
mañ. vnum, hordei ab vno cortice exuti mañ. tres, coqui
to sufficienter et collato. Accipito iuris libram vnã, adi-
pis anatis recentis vntias tres, aceti albi è pulegio vn-
tiam vnam, salis parum, bulliant iterum donec permi-
sceantur. Dato calidum quantum vno haustu sorbere
possit. Efficacissimum est ad crassos humores & lentos
febrem generantes. Idem cum capo & pulla efficere
possis sed inefficatius. Dicatur hæc sorbitio ex adipe
anatis. Superest de ea in qua simul calor & frigus per
totum sentiuntur, febre sermonẽ facere. Hæc à bile pu
trescente similiter ortum habet. Calore febrili crassa
phlegmata partes internas & externas occupantia dis-
soluente, accidit, vt ægrotantis sensus minimas non per-
cipiens differentias, calorem & frigus in eadem parte
esse iudicet. Victus ijs conueniens est, qui incidere, &
abstergere, & exiccare vtcunque valeat. Phlegmata si
quidem in hac febre facilius dissoluũtur q̃ in prędictis.
Signum est frigus intro & extra perceptum, quod latio
nem materiæ per omnes indicat partes. Latio vero, eius
liquefactionem, liquefactio obedientiam materiæ dissol
uenti. Phlegmata igitur cum induritiem non occalue-
re, aliquali indigent exiccatione. Quapropter talem ijs
victum ministrato.
Gallum senem vt supra defatigatum coquito cum hor-

Sorbitio ex adipe anatis.

deo, radicibus apij, petroselini, passulis enucleatis, ciceribus. Hora vna antequam ab igne amoueas, proijcito aceti albi è pulegio quantum satis, salis modicum, fac vt supra. Potus omnibus ijs sit aqua hordei cum semine fœniculi & radice apij cocta. Iis vero qui intus frigent & extra callent, vinum album prędicta aqua dilutum administretur.

CAP. XXVI.

SEd quos nam victus exigant singulæ febres, indicatione sumpta ab affectu, & ab eius causa abũde quidem dictum est. Nũc vero quos nam victus symptomatum simul habita, ratione adhibere conueniat tempestiuum est percurramus. Nam quemadmodum symptomata curationis quandoque indicationem ad se trahunt, sic & victus rationem. Victus enim administratio pars curationis est. Id etiam sicut & reliqua ab Hip. didicimus, quem à symptomatum etiam natura & vehementia, victum conuenientem inuestigare obseruamus. Vt in eo vbi autem dolor aliquis vexauerit, oximeli bibendum dabis, hyeme calidum, æstate frigidum. Quod si multa sitis fuerit melicrato vtendũ & aqua. Gal. in expositione ita ait. Nempe quantum ad morbũ spectat, oximelite magis est vtendum. Verum si æger accepto multo oximelite adhuc sitiuerit, melicratum dare oportet. Quod si ab ea re sitiuerit, aquam offerendam putato. Et si aqua per se pota culpa non careat. Præterea infra ratione symptomatis superuenientis sorbitionis modum mutare iubet, cum inquit. Postea si dolor quispiam vel periculum comparuerit sorbitio

1. de ratione victus.

nem dare oportet neque multam neque crassam &c. Sed inuestigare diligenter oportet, qua symptomatis magnitudine mutare victum oporteat. Initium huius inuestigationis ab Hip. etiam sumendum est, viro sapientissimo. Ille enim victus rationem in sola effatu digna symptomatis magnitudine immutare videtur, vt cum dixit. ἐὰν δὲ πολλὴ δίψα ᾖ καὶ μελικρήτῳ καὶ ὕδατι. Hoc est si multa sitis fuerit melicrato & aqua. Ratio id quoque suadet vt non à symptomatum quacunque magnitudine sed ab ea quæ effatu digna est, curationis scopus mutandus sit. Nam cum symptomata, morborum effectus sint, ablatione causarum euanescunt. Quapropter vt effectus sunt nullius sunt capacia indicationis. Cum vero ad effatu dignam accrescunt magnitudinem, indicationem curationis præstant. Proinde cum effatu dignę symptomatum magnitudines, sicut & cuius vis rei innumeræ sint, sola ipsius magnitudinis ratione differentes, nisi aliquo signo magnitudinem symptomatum diffiniamus, incompletus & omnino inutilis noster sermo esset. Sic igitur symptomatum magnitudo diffinienda est, vt eorum ratione victus mutetur. Nempe cũ alicuius prçter naturalis dispositionis sunt causa. Quæ aut in morbum addat, aut naturæ vires exoluat. Quodcunque horum in corpore eueniat symptomatis magnitudinis causa, iusto tunc symptomata victus rationem, & curatiuam indicationem suppeditãt. Vt pleuritico parum sitienti oximeli aut melicratũ quę ipsæ morbus exegerit offeres. quod si multa siti vexetur, nõ ijs quæ morbũ & eius causam respiciunt, sed

ijs quæ ſitim mitigant vteris. Nam multa ſitis ſputum exiccat, & morbum incoctibilem reddit: Febris que calorem auget. Quapropter melicratum & aquam exhibebimus à ſymptomate indicatione ſumpta. Nam aqua morbi gratia exhibenda non eſſet. Ob id quod doloris maturationi aduerſa eſt. Sic ergo ſymptomatum magnitudo diffinienda eſt, vt ab eis ratio curationis & victus indicationes ſumantur. Cæterum huiuſmodi ſymptomata cum ad dictam perueniunt magnitudinem hoc eſt vicem habent cauſæ ad morbum relata, aut vrgentis aut cauſæ ſine qua morbus curari non poſſit vicē habent. Quapropter potior eſt quæ ab eis ſumitur indicatio quam à morbo. Vt ex dogmate de complicatis affectibus colligitur. Hoc etiam manifeſtum eſt ex eo quod Hip. pleuritico valde ſitienti aquam conceſſit. 1. de rōne victus. Quam ſi potiorem à morbo indicationem faceret nō exhiberet. Manifeſtum igitur eſt ex doctrina Hip. vt cū ſymptomata ad eam magnitudinē perueniunt vt in morbum addant, aut vires naturæ exoluāt, ab eis potiorem ſumendam victus eſſe indicationem. Dāda nihilominus eſt opera, vt ea miniſtremus quæ aut morbo ſi fieri poſſit conueniant, aut ſaltem incommoda non ſint.

CAP. XXVII.

Febricitanti patienti vigilias à bilioſo humore ortum habentes hunc cibum miniſtrato.

Ex aqua hordei lac amigdalarum conficito mediocri craſſitie, cunque ſemicoctum fuerit, mañ. vnum coriandri viridis in mortario conterito, addito modico croci ſimul in ollam proijcito. Zucari quantum ſatis ad-

dito. Fac vt decenter coquatur ad lentum ignem semper cum cocleari agitando quousque mediocriter crassum reddatur. Extrahito ab igne & linteis circum voluito, & tepidum ministrato. Hac sorbitione vsus fui olim in Anglia. Erat Anglus dicturus coràm Henrico Angliæ Rege inuictissimo, & regni primoribus. Curabat'que vt suo cum honore rem ageret. Cunque tēpus instaret, paucis ante diebus in moderato studio, vigilanti cura, cerebrum adeo exiccauit, vt in vigilias incideret. Cunque apud amicos de ea re quæreretur, nec diacodion, nec syrupo de papauere nec alijs id genus quę ei in remedium miserant somnum sibi cōciliare posset. Tertius'q; dies instaret, qua sibi sano capite opus erat, cunque ob imbecillitatem quam vigiliæ induxerât parum sibi crederet, in maxima erat solicitudine quid ageret. Accedens forte amicus hominem salutandi gratia, rem audiens, consuluit vt mea vteretur opera. Repente ipse veniens, hominem inueni præter modum calfactum. Cunque arteriam tangerem, conieci parum abesse hominem à febrili dispositione. In eam'que lapsurum nisi præsentaneo remedio adpropriam reuocaretur temperiem. Cunque hæc ei retulissem, acclamauit vt omni diligentia id præstare voluissem. Cunq; hominem bono esse animo iuberem, abij, sero rediens, sole iam occumbente hominem in capacissimo labro aquæ tepidæ sedere iussi. Ibique hora vna immorari permissi. Exiens lectum petijt, ibi cum parum quiesceret, homini lac supradictum exhibui, abij'que. Pueris admonitis, vt strepitum vitarent. Sequenti die mihi acce-

denti occurrerunt famuli gratias agentes quod heri vigilias & famulorum vno remedio sanassem, inquietabat enim eos, referentes herum solidam dormisse noctē. Quod si inconficiendo lacte micam panis in aqua rosarum infusam simul cum amigdalis teras, crassiorem efficies sorbitionem magis nutrientem & humectantem. Quod si crassiori vti velis sorbitione hoc modo conficito.

Panem purissimum mediocris ætatis in exiguas abrade particulas, tribus'que aquis lauato, deinde amigdalarū succum ex aqua hordei extrahito, simul'que cum pane coquito, ad lentum ignem semper agitando, cunque semicoctum fuerit, coriandrum viridem quantum manu capi possit in mortario cum pauco croco conterito, & cum sorbitione quæ ad ignem est dissoluito, adiecto zucaro, simul omnia coquito, quousque permisceantur, cocleari panem ad ollæ parietes atterens. Conueniens hic cibus est exiccato & super calfacto cerebro, frigidos & humidos halitus ad caput mittit, naturæ cerebri nimium familiares. Lusitanarum quæ in ægrotantium cō modum diligentiores sunt fœminæ, cum somnum conciliare student, sorbitionem sic parant.

Micam panis post ablutionem in aqua hordei coquunt, butiri recentis parum pro panis portione, aut oleum purissimum oliuarum eius loco iniiciūt. Cūq; ferè coctū est. Coriandrum viride & croci parum conterunt, & in mortario cum sorbitionis modico dissoluunt. Oui recentis (in aqua frigida horis tribus infusi) vitellum, cum sorbitione quæ in mortario est coclearis conquassatione

permiſcēt, in ollam reijciunt et cū Zucaro ſimul coquūt, ſemper agitando cum cocleari donec percoctum ſit. Valens hic cibus eſt ad conciliandū ſomnū. Attamen quia multi nutrimenti eſt, continuis febribus et acutis non cōuenit. Niſi facultatis imbecillitas id ſuaderet. Febribus ijs quæ periodice intermittunt & quieſcunt bono temporis interuallo concedi poſſet.

Lactucas quæ mediæ ſunt ætatis in aqua coquito, cūq; percoctę fuerint, aquam ab eis forti compreſſione extrahito, cultello in exiguas portiunculas percute, oleo, aceto, ſale, & Zucaro pro portione inſperſis, vigilias patienti dato vt cum pane deuoret. Qui vero vigilias ob doloris vehementiam patiuntur. Cibis ſomnum inducere ne ſperes, ſed confeſtim relicta ea artis medicæ parte quæ victus rationem docet, ad vtranque & quæ de medicamentis agit, & quæ circa manus operationem verſatur te confer, ab illis quo hominem à dolore leues, auxilium petas. Sciens in hora doloris cibum quēcunque culpa non vacare. Præcipue qui facile aceſcūt aut in fumum abeunt. Vtraque enim cauſa dolorem auget. Nam ptiſana quæ ab Hip. vt conuenientiſſimus cibus acute febricitantibus receptus eſt, in vehementia doloris ab eodem damnatur in primo de ratione victus in morbis acutis, in hæc verba. Niſi quis inquit dolorē vel alui ſubductione, vel inſecta vena, pro vtriuſuis exigentia ſoluerit, ptiſanam ita affectis dederit, precipitem aget in mortem. De reliquis cibis in hora doloris ita ait. Præhendunt hæc non ſolum ſi ptiſana intempeſtiue vtantur, verum & multo magis ſi quippiam

aliud quod ptisana inconuenientius sit, vel ederint vel biberint. Sed fortasse quis nobis obijciet Hip. in prædictis locis ptisanam prohibuisse sicuti & cibos alios, non doloris sed inflammationis membranæ succingentis costas ratione, de qua ei sermo erat, quam dolorem appellauit. Vere ita res habet, non ob id tamẽ aufertur q̃d diximus, nempe in hora vehementis doloris, cibum quemcunque & si leuissimum culpa non vacare. Quinimmo magno esse nocumento assero, hac ductus ratione. Dolor est ex ijs quæ maxime virtutem corporis prosternunt vt Gal. visum est. Ita vt nec ventriculus cibũ recte coquat, nec epar aut venæ hunc in sanguinem commode mutent. Nec distributio præterea, nec appositio, nec excrementorum expulsio, nec vlla naturaliũ actionum commode peragatur. Tum ob dolorem actiones lædentem, tum maxime ob id quod intenta natura ad id quod contristat, sanguinem & spiritus qui commune ad omnes actiones instrumentum est ad locum doloris mittat. Vnde fit vt loca coctioni deputata indigentiam patiantur. Quæ causa est vt cibus perperam coquatur in ventriculo, epate, & venis, faciléque inde extraneum concipiat calorem. Et tandem additionis doloris causa fiat. Cum igitur loca coctioni deputata influentis calidi indigentiam patiantur, & obiectum in quod agunt calido extraneo obnoxium ob id (natura alio intenta) maneat, consulte medici agunt sanguinem in forti dolore mittere. Vt quantum natura à consueta deficit cura, tantum sanguinis imminuatur. Iuxta illud minori curæ minus quod curet. Nec solum mittendus

est sanguis, vt qui in iocinere & venis est, succum ab extraneo calore incolumẽ tueamur. Sed & cibo qui in ventriculo est consulimus, vomitum prouocantes. Cunque hæc ita se habeant, dementis consilij fuerit, cibum ea hora ministrare, qua eius à corpore eductio doloris remedium est. Qua in sententia Gal. est in expositione illius maius quidem malum est &c. Vbi ad hunc modum scribit. Cõtra autem qui ob dolorem vel morbi acumẽ, euacuatione interdum magis quam repletione indigent. Immo qui cibum his exhibet, maximum operatur malũ etc. Cæterum cum dolorũ plures sint differentiæ, ita vt alij alternis inuadunt temporibus & remittant. Alij perpetuo torqueant. Horum nonnulli talem consecuti sunt vehementiam, ut in vigilias laborantes deducant. Alij in inquietationes. Nõ vna victus ratio ab omnibus sumenda erit. Dolores igitur quicunque laborantes inquietant omnem cibum & potum abscindunt. Vt in ijs quæ in primo libro disseruimus abunde dictum est. Vbi ostendimus morbum cui continua coniuncta est inquietatio intra dies quattuor terminari ob cuius vehementiam. Omnimodam ei abstinentiam conuenire. Vehementissimi quidem dolores sunt, qui laborantes in inquietationem deducant. De hoc locutus est citato loco Gal. cum dixit qui alimentum his ministrat, maximum operatur malum. Quod manifestum est ex ijs quæ in initio expositionis scripsit vbi vehementissimum dolorẽ ad hũc modum describit. Propter dolores sæpe quidem laborantes sine pulsu fiunt, & animi deliquia incurrunt, & in nullo motu moueri possunt. Similia his ab acumine

morbi eueniunt. Sunt autem quibus non propter id virtus laborat, ſed ob vaſorum quomodolibet factam euacuationem. Siue igitur ob excretionem ſenſui manifeſtã. Siue ob διαφόρησιν id eſt in halitus digeſtionem, ſiue ob inediam, hi quidem alimento indigent & quàm celerrime refici. Contra autem qui ob dolorem, vel morbi acumen, euacuatione aliquando indigent magis, quàm additione. Immo qui alimentum his porrigit, maximum operatur malum. Validum ex verbis Gal. ſumitur argumentum, laboranti vehementiſſimo dolore cum robore virium, nullum exhibendum fore alimentum. Cum in eos qui ob dolorem imbecilles admodum facti ſunt, ita vt abſque pulſu fiant & animi deliquio capiantur, maximum operari malũ ſcribat. Ob dolores qui proxime à vehementiſſimis degenerant, vnam decubitus formam ſeruare queunt laborantes. Somnum tamen capere non poſſunt. Quare talisiis victus miniſtrandus eſt, qualem morbis qui ad ſeptimum terminantur conuenire diximus. Vigiliæ enim continuæ vt in primo libro oſtendimus, vnum eſt ex tribus ſymptomatibus quæ morbum ad ſeptimum terminant. Iis igitur qui ob dolorem perpetuas patiuntur vigilias, victus per pocula cõuenit. Sic Hip. vti vero potu oportet, ſi dolor aliquis affuerit, oximelite, hyeme quidem calido, æſtate vero frigido. Si vero multa ſitis fuerit, & melicrato & aqua. Quo in loco Hip. victus formam à ratione duorum ſymptomatum diffiniuit, nempe à dolore & à multa ſiti. Dicens. χρέεσθαι δὲ ποτῷ, ἢν ἀλγημά τι ἔχῃ, ὀξυμέλιτι, χειμῶνος μὲν θερμῷ, θέρους δὲ ψυχρῷ. ἐὰν δὲ πολλὴ δι-

φαχῆ, καὶ μελικρήτῳ καὶ ὕδατι. Vbi perperam qui dam in hunc modum vertit. Vbi autem dolor aliquis vexauerit oximeli bibendum dabis. Non equidem id solū vult Hip. vt oximelite cū dolor aliquis affuerit vtamur. Sed duo nos in dictis verbis docet. Nempe cum dolor aliquis affuerit victu per pocula vtendum esse. Secundo declarat nobis conuenientem potum oximeli esse. Si enim eadem fuisset Hip. mens ac traductor intelligit, breuius quidem sententiam protulisset ad hunc modum χρέεσθαι δὲ ὀξυμέλιτι ἢν ἀλγήματι ἔχῃ &c. Hoc est vti vero oximelite si dolor aliquis affuerit. Id praeterea facile erat ex mediae quietis signo quod dictioni ποτῷ, coniunctum est elicere. Sed quod semper dicere sum solitus hic praeterire silentio haud aequum censeo. Solius Hip. scripta de verbo ad verbum trasferenda fore. Vt incorruptam grauissimi viri sententtam habeamus. Nullo quidem breuiloquus vir ocioso vsus est verbo. Quicunque igitur in vertendo Hip. curant elegantiam sermonis, caueant ne diuinas uiri sententias corrūpant. Ad propositum redeundo. Cum dolor, tali sit vehementia vt vigilias inducat, victum per pocula indicat, sorbitiones'que tunc temporis ministrandas non esse. Sed forsan quis nobis obijciet. Hip. cum in dolore assiduo sorbitiones & cibum subtrahit, non doloris sed inflāmationis & acute febris ratiōe prohibet. Vt in primo de ratione victus cū scribit. Ad haec si adhuc lateris dolor continuus fuerit &c. Non solum vbi dolor acute febri coniunctus est, victus qui poculis sit crassior incommodus est, sed vbi dolor absque vlla sit febre.

Quod cum ostendemus, manifestum erit in dolore acutę febri coniuncto, cibum & sorbitiones Hippo. ratione symptomatis potius quàm morbi prohibuisse. Ille igitur in de victu sanorum ita scribit. Quibuscunque dolores fiũt in visceribus vel ex exercitatione vel alia quapiam ambulatione his confert sine cibo recreari. Potione vero vti &c. Ex ijs quę statim subiungit & apertius ex Gal. in expositione manifestum fit, de ijs qui absque febre fiunt doloribus locutum fuisse. Si igitur scripta Hip. vigilanti lectione percurramus, nõ solum cibum ijs prohibere qui cũ robore viriũ doloribus infestantur reperiemus, sed in eos qui imbecilles ideo effecti sunt, si quis victus formam aut quantitatem ad maius augeat, magnum operari malum affirmat. Vbi ad hunc modum scribit. Ingens si quidem malum est, si ob dolorem & acumen morbi imbecillitato porrigat quis potum vel sorbitionis plus, vel esculentum, imbecillitatem eam ex vasorum inanitione contigisse arbitratus &c. Quo in loco potum, sorbitionem, & esculẽtum nõ asserit male ijs exhiberi qui ob dolorem aut morbi acumen imbecilles fiunt, vt quidam opinatus est. Sed solũ damnat additionem victus formæ aut quantitatis quibus ante imbecillitatem æger vtebatur. Vt si tribus aquæ mulsæ cyathis Socratem acuta febre, vehementi capitis dolore, laborantem nutrias, ob dolorem autem aut morbi acumen in magnam incidat imbecillitatem, ita vt moueri nequeat & absque pulsu fiat, caueas vt huic aut sorbitionẽ, aut plus tribus cyathis mulsæ ministres. Nã hoc quidẽ magnũ malũ eẽ affirmat. quibus

autem signis imbecillitatem quæ à dolore aut morbi acumine & eam quæ à vasorum inanitione euenit discernere possimus supra ostensum est. Potus igitur quẽ ijs concedemus talis sit vt aliquod præstet corpori nutrimentum, & doloris etiam causam respiciat. Vt oximeli quo vtitur in lib. 1. de ratione victus ad lateris dolorẽ, vt quod eius causam respiciat. Et in libro de victu sanorũ ad dolores viscerum absq; febre, qui ab obstructione ortum habent, potione vtitur cuius minimum in corpus ingrediens plurimum educat lotium. Et quia hæc inuestigatio ad eam artis medicæ partem quæ morborum speculatur remedia (θεραπευτικὴ græce dicitur) spectat, nõ est quod hic longiorem faciamus sermonem. Illuc te confer si quod reliquum huius speculationis est, quæris. Nos interim reliqua prosequamur præpositi. Vigilia interdum ex penuria vaporosi halitus cerebrum humectantis euenit, & si quando ex defectu alimenti in ventriculo accidat, vt plurimum inclinante morbo fit. Iis pręcipue qui bona valitudine multum ingerere sunt soliti. In morborum incrementis aut vigore, raro ob hanc solam causam vigiliæ accidunt. Difficiléque tunc id percipere, vi morbi vigiliarum magis perspicua causa, illam obscurante. Cum ergo hanc esse vigiliarũ occasionem intellexeris, cibũ dato qui facilis sit coctionis & substantiæ, quæ dulces ex se emittat halitus. Vt pisces petrosi qui in hora vigeant, cocti cũ aneto, petroselino, sale, & aceto, oleo, aut butiro recenti, & succo vuæ acerbæ, aut eius loco berberibus. Hũc cibum ministraui cum essem in Anglia præclarissimo vi

ro domino

ro domino Guilelmo cidne serenissimi principis Anglorum magno cubiculario dignissimo. Cũ enim inclinante iam morbo vigilias pateretur, multáque in huius gratiã apparata nil quicquam proficerent, rogaui hominem an vellet fluuiatiles ad cœnã pisciculos, quos gudions vulgari sermone Angli appellant. Annuente inductoque coquo modum apparandi imposui. Permisique vt eisdem ad libitum vesceretur. Abij, in crastinum rediens percepi hominẽ nocte dulces cœpisse somnos. Ad huius cognitionẽ me potissimũ induxerunt hominis habitus & eius assuetudo. Iis accessit quod inclinante iã morbo nulla videbatur ad vigilias inducendas iuxta occasio. Quapropter diligenter oportet medicum contemplari actiones singularum corporis partium, quando imminuuntur, aut deficiunt, ratione indigentie nutrimenti, & quando acuminis morbi. Cunque primum contingit, cibus illico dandus est. Si secundùm, maxime prohibendus. Qua in re sæpe labuntur nostræ ætatis medici, non discernentes alterutram actionũ noxæ causam. Quod antiquis medicis prior Hip. obiecit in libro secundo de ratione victus in morbis acutis in hæc verba. Neque sanè horum ita peritos video medicos qui vt oportet dignoscant eas quæ in morbis contigunt virium infirmitates, quæ ob vasorum quã κενεαγγείην grꝫci dicunt. Et quæ ob aliam quampiam irritationem, & quæ ob πόνον, id est laborem & quæ ob morbi acumen fiant.

CAP. XXVIII.

SItis febricitantibus quandoque tali est vehementia vt indicationem curationis suppeditet. Id hoc modo discernas. Cum igitur sitis morbi materiæ remoratur coctionem, aut nimia sputum exiccatione inhibet, aut ab ea corpus arefiat, rationabiliter ab ea victus ratio sumetur. Quare tunc dare operam medicum oportet vt sitim leuet. Id'que fiet cibo & potu qui actu & potentia frigidi & humidi sint. Omnium maxime quæ sitim vincunt aqua frigida est. Præcipue quæ à medicis probatur. Secundo loco est aqua hordei. Tertio syrupus violaceus multa aqua dilutus, quē sic præparabis.

Aquam coquito in olla recenti ad vnius quartæ partis absumptionem, ab igne amouens residere finito. Deinde aquam à sedimine separato, cuius accipito partes viginti, syrupi violarum depurati aut eius iulep partem vnam. Bulliant ad lentum ignem, donec permisceātur. Deinde sub dio exponito ad Septentionem. Et frigidum exhibeto. Simili modo confici potest aqua Zucari qua nostri recentiores multoties vtuntur. Sed considerare diligenter oportet ne in vehementi linguæ totius'que corporis squalore vtamur ea nec abstergente vllo. Nam talia corpus siccius reddunt. Vt me experiētia olim docuit. Cū essem in Anglia, Hispanū puerū periodica febre laborantē inuisi, habitu gracili & præter modum squalido, eius lingua præ nimio squalore

arida vltra modũ erat, vt vis loqui posset, indomitam'q̃ sitim patiebatur. Frigidam puero exhibere mihi visum est. Zucarum'que imposui vt aquarum crassitiem corrigeret. Cunque à potu frigidæ non leuaretur sitis, vitio aquæ illud tribuens, aquam distillationis buglossæ vt pote in qua nil crassum est cum Zucaro ministraui. Cunque à copioso & crebro illius potu siccior etiam euaderet, intellexi tandem in vehementi squalore, nimium aduersa esse quæ abstergendi facultatem habẽt. Ex eo quia corpus & humores sicciora reddunt. Nã non aliter corpori quod vehementer exiccatum est, ea quæ abstergunt adhibentur, quam si lintea sordida absque aqueo humore sapone detersorio vnguento diligenter perfrices, vt sordes detergeas. Quanto enim plus detersorij adhibueris eo nihil proficies. Nam sordes magis tenacius impinges. Oportet enim lintea aqua prius macerare vt sordities quam abstergere cupis humecta fiat. Vt cõsueuerunt fœminæ quæ doctiores in ea arte sunt, vt minores faciant expensas, diutius lintea in aqua macerare permittunt, rem illis vsu monstrante. Cum igitur hominum corpora vehemẽter exiccata sunt, cauendũ est ab vsu abstergentium. Non sunt enim eo tempore detergendi humores, sed potius humectandi. At cum humectos satis reddideris, abstergẽtibus secure vti poteris. Hoc postea ab Hipp. intellexi in primo de ratione victus in morbis acutis vbi ita scribit. Verum dandæ sorbitionis quantitas hoc obseruabitur modo, nempe si morbus siccior quam vt quispiam

existimet fuerit, non multum dare oportet sed præbibere ante sorbitionem vel mulsam vel vinum. Alterutrũ magis conueniat. Gal. in expositione signa commemorans quibus cognoscitur siccus affectus, ita scribit. Et sanè inquit superfluitatum nihil excernere, siccorum omnium morborum nota est. Non immerito igitur Hippoc. humectantium aliquod ante ptisanam adsumi iubet, &c. Nec solum ea quæ abstergunt in dicto effectu fugienda sunt, verum & quicunque cibus & sorbitio. Nam solo potu humectante vtendum est in ijs quorum linguæ totum'que corpus vltra modum arida sunt. Si enim ijs cibum aut sorbitionem dederis, partes sorbitionis quæ crassioris sunt substantię ventriculi tunicis præ nimia earum siccitate adhærentes à febrili calore deurentur potius quàm coquentur. Non aliter quàm cibus ollæ adhęrens comburi solet, humore aqueo deficiente. Hęc vt arbitror fuit mens Hip. supra citato loco, cũ morbo vltra modum sicco exñte, ante sorbitionem præbibere mulsam vel vinum ægrotantes iubet. Volens in tali affectu solo potu humectante prius nutriendos esse laborantes donec ariditas soluatur. Deinde ad sorbitiones deuenire. Et hoc est quod intellexit cum dixit ἀλλὰ προπίνειν πρὸ τ῀ ῥοφήματος, id est sed præ bibere ante sorbitionẽ oportet. Nec ideo quod Hip. mulsam exhibere consulat, quæ mellis ratione abstergere valet, in hispani pueri affectu aquam Zucari præter rationem prohibuimus. Quæ longæ inferior est quam mulsa in abstergendo. Nam cum Hip. in mor-

bo vltra modum squalido nec sorbitionem nec cibum alium quemcunque recte exhiberi ob iam dictam rationem opinaretur, potum concessurus magis nutrientem elegit. Sunt autem quattuor de quibus agit in libris de ratione victus. Nempe aqua hordei, mulsa, vinum, oximeli. In sicco affectu nec oximelitis nec aquæ hordei mentionem fecit. Alterum quia nimis incisiuum est sicco affectui non conuenit. Aqua hordei prout potus est, parum nutrit ob tenuitatem. Mulsæ autem & vini meminit tanquam ea quæ magis nutriunt & humectant. Electionem vero alterutrius medico relinquit, ac si intelligat in sicco affectu posse aliquando alterum lædere & eorum alterum conuenire. Si enim à bilioso humore ob eius indomitam qualitatem siccus eueniat affectus vitanda magnoperæ est mulsa, vinum vero exhibendum quod citra abstersionem incisionem'ue humectat. Et vires naturæ ministrat. Quod si à nimis crasso humore coctrici facultati repugnante, morbus siccior euadat, mulsa potius quàm vinum ministranda est. Tum ad humoris extenuandam crassitiem, tum ad humectãdum corpus. Plus enim humectat mulsa q̃ oximeli. Hanc fuisse Hip. mentẽ opinamur. Sed & illud certo scimus quod siccitas quæ linguæ & toto corpori aduenit ob bilis ardentis qualitatem multo validior est, quàm quæ à crassitie sola humorum prouenit. quapropter recte supra additum est in vehementi siccitate vitandam esse aquam Zucari & quæ abstergendi vim habeant. Potuque solo humectante vtendũ esse.

Sentis ne studiose lector q̃ dicta mea cum Hip. conuenniant scriptis. Quem vnum virum vnde quaque sapientissimum admiror. Sed rectius mihi quis obijciet, me in curatione pueri hispani fuisse lapsum, febrem tertianã patientis cum validissima & linguæ & totius corporis siccitate, qui ei aquam Zucari ministrassem, nam manifestum erat vehementem illam siccitatem à qualitate bilis acerrime ortum traxisse. Quapropter vino diluto non aqua Zucari nutriendus erat. Sed bene valeant medicorum errores quibus à tergo morosa coniuncta est pœnitentia, vt in posterum illud caueant attentioriq; cura remediorum qualitates & affectus examinent. Ego vero vt moris est lusitanorum genti, errorem meum ingenue fateri pium esse iudico. Eundem que scriptis mandare. Vt posteros rei cautos reddam. Id enim est à vitio virtutem, bonum à malo, ab obliquo rectum elicere. Scio enim hominis naturã talem esse vt facile elabi possit. Quod si cum Homero sentiendum sit, intellectum hominis in terris talem esse qualem pater deorum atque hominum induxit in diem, medicorum errores profectò digni sunt venia, qui secretos corporum affectus rimantur. Quapropter cum erroribus maxime sit medicus obnoxius, pij hominis officio eum vti iudico, qui Hip. in primo de morbis vulgaribus adimplere conatur præceptum dicẽtis. In hoc te exerceto vt saltem si non prosis nequid noceas. Sed ad reliqua propositi reuertamur. In febre quæ cum validissima siccitate est, cibis parcẽdum est, solo humectante potu nutriendi sunt ægrotã-

tes. Vinumque ijs exhibendum, quod natura aquosum sit. Item pullam crassam cum epatica hordeo ab vtroque cortice exuto, prunis passulis floribus borraginis & violis in copiosa aqua coquito, vt ius tenue fiat. Cũque percocta fuerint, collato. Ius ægrotanti tenue exhibeto, statimque vinum dilutum in quo super natet frustulum panis quantum vno haustu bibere possit, dato. Ventriculo aliquid extra, qđ humectare possit apponito. Quod si siccitas remissior fuerit, ijs quæ infrigidant & humectant in cibis et potibus vtemur. Cucurbita cocta cibus est qui sitim compescit. Lactuca etiam eo quo supra parauimus modo vtilis est, cruda etiam cum eisdem deuorata maxime sitim reprimit. Oleum purissimum oliuarum immaturi partem vnam, aceti albi partes duas, zucari tres, simul misce & cum pane vtitor. Ad sitim sedandam & ad alios quamplurimas vsus confert. Panis præterea refrigerans conuenit prout parauimus supra cum de victu qui tertianę purę competit ageremus, cibus est maxime aptus sitienti febricitanti. Sed & sorbitio ex pane & aqua hordei & zucaro quam communiter panatellam vocãt, confert. Conferunt & cibaria ea quæ ex hærbis fructibus parantur. quorũ omnium melones primum locum obtinent. Sunt qui ad sitim sedandam aquis distillatis endibiæ cichorij buglosæ cũ syrupo rosarum vel violarum aut iulep vtuntur. In febribus quæ à causa calida ortum habent absque pituitæ mixtione, æstate pręcipue communis vsus amplectendus est. Cæterum latere non oportet vbicunque crudi

humoris de pituitæ genere coctionem quærimus, vt febri medeamur, magis lędere potum aquę distillatę quã aquę naturalis. Illa quidem si frigida offeratur duplici nomine infrigidabit, actu & potentia. Magis prętерea penetrat in corporis interiora ratione qualitatis igneæ. Vnde ab huiusmodi aquis magis pati natiuũ calorem q̃ à naturali manifestum est. Quapropter in causa frigida & ijs qui alicuius interiorum viscerum imbecillitatem patiuntur, vitandas esse distillationũ aquas opinamur. Sed non prætermittendũ est sitim quandoque à ventriculo, quandoque ab iocinere & pulmone & renibus euenire posse. Vt à Gal. in libris de locis affectis scriptum est. Quę à pulmone ortum habet, aqua hordei cum syrupo violarum sedat. Ab hepatę aquę distillatę frigidę. À ventriculo, potus aquæ frigidæ. À renibus, aqua decoctionis liquiritiæ compescit.

CAP. XXIX.

Patiuntur febricitantes aliquando deiectionẽ appetentiæ vt eorum corpora arescant atrophia. Cunque multiplices habeat causas nullus cibus simpliciter commendandus est ad inducendam appetentiam. Sed prius causa inuestiganda est, vt quod vtile ægrotãtibus sit inueniamus. Cæterum omissis primarijs causis appetentia deijcitur deficiente aliquo eorum quæ ad inducendam appetentiam necessaria sunt. Appetimus se

cundum naturam homines hoc causarum ordine. Corpora nostra à vi continentis in halitus perpetuo digeruntur. Huic effluxui vt remedium restauratio à singulis nostri corpis particulis quæritur. Restauratur vero id quod effluxum est, ab ea substantia quę singulis partibus apposita vnica transmutatione in substantiam simplicis mutatur. (Cambium medici vocant) hæc rursus ab ea quæ in osculis tenuium venarum est, instauratur. Non à rore vt aliqui opinati sunt. Quæ in exilibus vasis est, à sanguine qui in magnis continetur vasis renouatur. Vasa ab iocinere, hic tandem à ventriculo per meseraicas venulas quas manus hepatis recte quidam nuncuparunt sugit. His trahentibus ad os ventriculi succus peruenit. Hūc partium eius aliqualis constrictio excipit. Huius constrictionis sensus, fames est. Tres igitur summatim causæ consequentes in fame naturali apparent. Attractio, constrictio, & sensus oris vētriculi. Appetentia igitur quocunque horum deficiente diminui & prosterni potest. Cæterum prima causa è tribus deficiente, remedium ab ea artis parte quæ morbos curat petendum est. Minimam scias vim tunc inesse cibis cū naturalis totius corporis attractio deest. Aliquam sed exiguam si tertia. Magnam vero si secūda. Non solum igitur intemperies oris ventriculi cibi appetentiam deijcit, sed & humor quicunque sit qui aut sensum oris hebetet, aut constrictionem partium eius prohibeat. Intemperies autem quæ vt in pluribus cibi fastidium generat calida est, cum vtraque contrarieta=

te sicca & humida humori coniuncta & absque eo. Cæterum cum caliditas & humiditas causa sunt deiectionis appetentiæ, cappares cum aceto & conditæ oliuæ, ius lentium, prosunt. Sed cum siccitati coniuncta est caliditas & appetentiam deijcit, aqua frigida maxime iuuat. Nisi quid prohibeat. Lactuca, cucurbita, citruli, melones, & id genus fructus maxime prosunt. Qua de causa æstate his prius ad mensam vtimur, vt calorem & siccitatem ventriculi reprimamus. Vnde ab ijs nosmetipsos ad cibos promptiores sentimus. Multa præterea sunt frigida & humida cibaria huic proposito conuenientia quorum supra meminimus. Sed quæ à fructibus petuntur & ad appetentiam inducendam & ad sitim sedandam efficaciora sunt. Deijcitur etiam ob defectum constrictionis partium oris ventriculi. Huic contraria dispositio est quam quidam recentiorum medicorum ventriculi remolitionē aut relaxationē dixerunt. Hæc non solum actioni facultatis appetentis sed & reliquis uentriculi actionibus aduersatur. Ortum habet ab humore pituitoso diu ventriculo insidente, & eius tunicas irrigante. Cuius meminit Gal. septimo de methodo, vbi in remedium huius vitij absinthij potionem concedit. Hæc relaxatio superficiem ventriculi læuem reddit. Vnde appetentiam deijcit. Hęc n. aut sensus exasperātis rei est, aut ex eo nascitur. Quam ob rem absinthium recte appetentiam inducere dicitur. Nam sua siccitate laxum ventriculum corrigit, amaritudine & astrictione læuem eius superficiem

exasperat. Quam obrem cum ob relaxationem ventriculi deijciatur appetentia, absinthio vtemur. Vnde ad hunc sensum recte à Dioscoride commendatum est, ad discutienda fastidia. Sed & cappares & oliuæ hoc modo appetentiam excitant. Pisces quoque saliti efficacissimi sunt ad deiectam appetentiam suscitandam. Vnde supra cum de variolis nobis sermo esset & de pestilenti febre salitos pisces appetentiã excitare asseruimus teste rasi. Fit & aliquando vt humor crudus ventriculi tunicis diu inhærens fastidium inducat. Quæcunque ergo hunc excernendi & ventriculum exasperandi facultatem habent, appetentiam proprie inducere dicuntur ob id, quod vt plurimum à iam dicta causa nascuntur cibi fastidia. Talia sunt in calidis allium & cepa. Allium si quidem excernendi vim habet. Vẽtriculum'q; mordet, & exiccat vt asseruit Dioscorides. Vanum est quod de eo dicitur flatuosum esse, & cibi fastidia inducere. Nam experientia quottidiana scimus, aduersus flatum non leue remedium esse, & appetentiam excitare. Cui sententiæ astipulatur Gal. quarto de ratione victus in morbis acutis. De allio supra à nobis habitus est sermo, vbi ostendimus omnes naturales ventriculi actiones roborare. Quicunque igitur à crudis humoribus diu ventriculo insidentibus cibi fastidium patiuntur, allio in succo vuæ acerbæ aut acetosæ macerato efficacissime vtentur. Sed & cepæ expurgandi vis inest, iuxta Dioscoridis sententiam, ventriculum'que mordet. Qua de causa appetentiam inui

tat. Quicunque igitur ob exercitij defectum, aut ob debilem expultricem, obdormientem oris ventriculi sensum habẽt, hacque occasione cibum fastidiunt, cepa cruda vtiliter vti possunt. Cum aqua sale & pipere in tenues laminas incisa, vnde apud hæbreos in prouerbio est cepa absque pane cor scrutatur. Sinapi etiam aceto & pane contusum sensum ventriculi acriorem reddit, excrementa eius transferendo. Petroselinum cum cibo coctum aut in visceribus capi qui ad ignem coquitur im missum, citra eam quæ à manifestis sumitur qualitatibus actionem, appetentiam excitat. Crudum item cum aceto & pane in mortario contusum mirum in modum prodest. Vnde angli petroselini carnibus assis infixi nidore delectantur. Recte quidam ex recentioribus de eo sentit, calido & frigido conuenire ventriculo. Cum ergo à calore & siccitate prostrata est appetentia aqua frigida summum est remedium. Olei immaturi partes duas, aceti partes tres, simul misceto. Mixtis vtere cum pane. Cum à calore & humiditate ortum habet, oliuæ cappares vua acerba & similia prosunt. Cũ vero à relaxatione partium oris vẽtriculi, saliti pisces, cappares, & reliqua cibaria quæ ventriculum exiccantia exasperant. Allia vero feruefacta cum succo vuæ acerbæ aut acetosæ relaxationi frigido humori coniunctæ non inutilia sunt. Quod si ob hebetem ventriculi sensum, cibum fastidiant ęgrotantes, cepa cum aqua sale & pipere iuuat. Sinapi præterea cũ pane aceto cõtusum prodest. In summa omnia quæ discutere va-

leant, & mordendi facultatem habeant. Est vnus ex arabibus medicis qui ita scribit. Et ex eis quæ conferunt illis quorum appetitus prostratus est, propter debilitatem, sicut conualescentium aut propter materiam humidam viscosam, est vt comedant oliuas & aliquid de piscibus salitis. Sed re vera sicut oliuæ læsioni sunt ijs, quorum ventres humido & viscoso humore abundant, ita & pisces saliti conualescentibus ijs, qui ob debilitatem cibum fastidiant. Nam iuxta huius medici sententiam propter sanguinis penuriam ijs deijcitur appetentia. Et subdit statim vt conualescentibus accidit aut ijs qui euacuantur plurima euacuatione. Vtrisque cum cibum fastidiunt, piscium salitorum vsum potius incommodo fore, quàm adiumento opinor. Sed neque oliuæ conditæ hos meliores reddent. Sed si succum perdicis ijs obtulisset, offam'que panis in vino odorifero madentem & similia, citius his appetentiam reduceret, cum à prædictis causis cibum fastidirent. Sed indistincte admodum multa postmodum connumerat quæ fastidium discutiunt adhuc modum. Ex prouocantibus appetitum sunt cappares præparatę menta cepa oliuæ piper gariophili galanga acetum acetosa almuri allea cepa opoponacũ & mel. Hæc ille, quibus in verbis multa absque vlla methodo connumerauit remedia, quibus conueniant dispositionibus ea non adaptans. Quorum allia ex eo quia exiccant & exasperant appetentiam inducunt. Vt cappares præparatę & menta. Alia ob id quod astringendo exiccant, vt ace=

tum acetosa muria & conditæ oliuæ. Alia quia exiccando excrementa à ventriculo excernunt vt allium piper. Alia quia mordendo oris ventriculi sensum acutiorem reddunt, vt cepa, si quando ab excrementis expultricis facultatis aut coctricis vitio redundantibus hebes fiat. Hoc profectò docere est, remediorum nempe vnumquodque singulis causarum à quibus morbus ortum habet contrarietatem obseruantes adaptare. Sed inter ea quæ indistinctè numerat mellis meminit. Quod nec ratione nec experientia appetentiam posse inducere comperio. Nisi id melli concedas ob id quia abstergendi vim habeat. Hocque modo plura sunt quæ appetentiam inducunt quàm quæ experientia ostendat.

CAP. XXX.

TVssis in febribus cum à caliditate & siccitate absque humore ortum habet, hoc victu vtere.
Aquæ hordei libram vnam, syrupi violarum aut eius iulep partem decimam, misceto & vtere.
Portulaca cocta cum aqua & zucaro confert. Valde etiam prodest panis in aqua frigida infusus, muchar o violarum super asperso.
Fiat ptisana hoc modo. Hordei ab vtroque cortice exuti man. quinque, violarum recentium portulacæ & prunorum ana man. vnum & semis, coquantur in aqua co=

piosa cum duobus pullis crassis paruulis, donec rumpatur hordeum & tenerrimum fiat. Colletur tandem & modico Zucaro penidiarum addito; bullire hordeũ cum decocto iterũ finito donec permisceantur, vtitor cum oportuerit. Sunt qui hunc cibum hordeatum nuncupent. Multum prodest calidæ & siccæ intemperiei iocineris, & pulmonis. Multum etiam his conuenit expressio quattuor seminum frigidorum (emulsionem medici vocant) ex aqua hordei cum Zucaro penidiarum & modico coriandri viridis integri in ebullientem succum proiecti. Cum vero à phlegmate crasso ortum habet. Sorbitione furfuracea vtere. Vtere & iure galli antiqui prout supra parauimus.

CAP. XXXI.

AD obstructionem iocineris sorbitionem è furfure ad hunc modum parato, capillorum veneris recẽtis mañ. tres, aquę è fonte libras tres, coquito in testa recenti quousque aqua fuluum nacta sit colorem. Collatóque & in collaturam furfuris è recenti tritico mañ. tres linteo excepti infundito, & toties exprimito donec decoctum albescat, fermenti trium dierum in æstate & vnius hebdomadæ in hyeme vntias tres simili modo in decoctum infundito, & toties exprimito quousque aqua candidior appareat. Cum Zucaro tandem coquito tandiu quod ad crassitudinem sorbi- Sorbitio furfuracea.

tionis perueniat. Obstructionibus iocineris plurimum valet & lienis, præcipue addito scolopendrio vt simul cum capillari hærba coquatur. Valet & ad alios plurimos vsus. Tussi à crassa pituita ortum habenti mirum in modum prodest cum hyssopo. Febribus etiam phlegmaticis & ijs qui colico dolore vexantur, cum chamemelo. Aluum ciet, renes mundificat, calculos & arenas potenter pellit. Hoc vnum huic sorbitioni incommodum est, quod appetentiam deijcit creber eius vsus. Confert & ius cicerum vt supra parauimus, adiecta epatica si hepar afficiatur, aut cæterach si lien. Sorbitio præterea ex capite arietis decocti cum chamemelo passulis & reliquis cuius supra meminimus maxime prodest ad antiquas & induratas obstructiones.

CAP. XXXII.

FLuxus ventris si statim inter morbi initia eueniat, sistendus ideo videtur esse, quia eo tempore vi morbi potius quàm naturæ actione regulariter agentis euenit. Proinde cum speculatio hæc ad curatiuam methodum spectet, solum ea quæ ad victus rationem attinent dicemus. Cæterum cum aluus liquida inter febris initia à ui morbi irritata natura fiat, necesse est vt ex eo labor & virium iactura sequantur. Quarum enim natura per seipsa auctor est ef-

fluxionum

ſluxionum non morbi initio ſed poſt criſim fiunt. Roborare igitur naturam à morbi violentia oppreſſam expedit cibo craſſiori, quam pro morbi acuminis ratione. Nam ſymptomati illud indulgendum eſt. Vt ſi Socratem ponas cauſo laborare cum aluo liquida, non potu ſolo (quem victum alias cauſus expoſcit) ſed ſorbitiuncula ex ptiſanæ cremore hunc nutries. Hoc voluit Hippocrates quarto de ratione victus de cauſi alio genere agens, quem nothum Gal. appellat, vbi ſorbitiones attractorias dari iubet. Idem ab eodem in tertio cum de deiectionibus bilioſis puris & ſpumoſis ageret diſcimus. Sed de ijs ſatis in primo libro diximus. Sic ergo manifeſtum eſt ex dictis Hippocr. & Gal. quibuſcunque in febribus aluus ab initio liquida eſt, craſſiori victu febricitantes quàm morbi acumen expoſcat, alendos eſſe. Nam vt plurimum huiuſmodi uentris fluxus inter morbi initia euenientes ſi permanent, corpus abſumunt cõtabefaciunt'que. quam ob rem colliquantium febrium inditia ſunt & effectus. quod à Gal. in quarto de ratione victus in expoſitione illius quibus aluus per febres &c. Scriptũ eſt in hæc verba. Nam vt cætera omittam cum aluus liquida eſſe poſſit, tum propter phlegmonem, tum propter contabefacientem colliquantem'que febrem, frigidæ potus phlegmoni contrarius eſt &c. Sed forſan quis nobis illud Hippocr. ſecundo de ratione victus obijciet. Ingens ſi quidem malum eſt, ſi ob laborem morbique acumen imbecillitato porrexerit quis potum vel ſorbitionem &c.

duplicem imbecillitatem in febribus contingere posse dicimus. Alteraque ex sola spiritus substantiæ resolutione fit. De qua intellexit Gal. cum loco citato dixit. Ob dolores sæpius ægri sine pulsu animique deliquia incurrunt & nullo pacto queunt moueri. Altera vero ex defectu materiæ ad eorum generationem, quam tetigit loco citato sub ijs verbis. Sunt autem inquit quibus non ob hæc virtus offenditur, sed ob vasorum quomodolibet factam euacuationem. De primo imbecillitatis modo intellexit Hippocr. cum dixit ingens si quidem malum est &c. Vbi ostendimus secundum mentem Galeni, qui laborantibus huiusmodi imbecillitate cibum exhibent, maximum operari malū. Eos vero qui ob defectum materiæ ad generationem spiritus infirmiores fiunt, cibari quàm celerrime oportet. Immo si quis tenui victu hos alat, non parum lædet. In febribus autem quæ cum aluo liquida imbecillitates, fiunt, eas partim ab euacuatione illa ortum habere suspicari medicum æquum est. quapropter quantum euacuationi occasionis dat, eo tantum tenui victui parcendum est, & crassiori indulgendum. Sed non ab re fuerit Anglæ mulieris curationē referre, quæ ad iam dictorum intellectum non parū proderit. Pharmacolæ hispani vxor ardenti febre correpta est. Aluus perpetuo liquida erat, vigilias patiebatur, & ventriculi immoderatum ardorem. Deiectiones febrilē æstum non extinguebant. Huic aquam hordei solum propinādam fore aliqui suadebant, morbi nanque acumen crassio

rem victum non exposcere indicabant. Alij medicaminibus peracuti morbi vim compescere melius esse. Alij immoderatum ventris profluuium, ijs quæ astringerẽt sistendum fore existimabant, ea de causa quia nullum ex eo ægrotans leuamen perciperet. Mea quidem præualuit sententia, vt nec astringentibus fluxus ventris co hiberetur, nec ad nulla medicamina tunc adesse occasionem, nullóq; alio eos tempestiuius vti posse remedio, q̃ cassiori pro morbi ratione victu, laborantis naturam roborare. Posse siquidem eo modo citæ alui symptoma minori ferre incommodo. Quapropter crassa sorbitione ex pulla gallinacea conuenientibus hærbis temperata, mulierem per aliquot dies nutriui, nullo alio vtens remedio. Sic quidem illa acutum morbum euasit, solo competenti victu. Vnde collegi in febre acuta cum immoderato ventris fluxu, saluberrimum esse id solum medicum curare, vt naturã crassiori victu roboret. Sed quando astringente cibo & potu vtendum sit, deinceps considerandum est. In acutis febribus morbi effectricem causam extra corpus pellere modis omnibus damus operam. Cum autem aliqua euacuatio sponte euenit & si intempestiue fiat, ideo sistenda non est, quia noxij humoris superabundantis excerni portionem suspicandum est. Et si in huiusmodi intempestiuis alui deiectionibus multum eius quod vtile & naturæ conueniens est euacuari certo sciamus, non ob id compescere aluum citam oportet. Nam maius ex retentione praui humoris solet incommodum sequi, aucta febre & increscentibus ob id symptomatibus ro-

bur virtutis deuorantibus, quàm ſit imbecillitatis damnum, quod contrarium operantes vereri poſſent. Quapropter cõſulentes febri & eius ſymptomatibus fluxum ventris non ſiſtimus, virium robori craſſiori victu prouidentes. Intelligendũ tamen eſt, q̃d in ſolo eo qui ob liquefacientes febres fit fluxu, ſorbitiones frigidiores & craſſioris ſubſtantiæ offerimus, potusque qui aſtrictoria participant facultate. Vt liquefactioni plus obſtent, non vt aluum ſiſtant. Quod enim iam diſſolutum ex membris eſt à violento febris incendio, retinere intra corpus conſilium non eſt. Ob id diuinus Hippocrates cum in libris de ratione victus multis in locis meminiſſet fluxus alui in febribus, ſemel tantum potus aſtringentis, & craſſioris ſubſtantiæ ſorbitionis meminit. Nempe cum aluus liquida fuerit & liquefaciens. Videtur mihi inquit, ſorbitiones frigidiores & ſpiſſiores offerendas eſſe & potus qui ſiſtant vinoſiores vel etiam aſtringentiores. In reliquis autem aliquando purgationem adhibere ſuadet, tantum abeſt vt fluxus eos inhiberi conſulat. Vt in eo liquidam aluũ habenti &c. Præterea in eo ſorbitiones attractorias. Quandoque pedes calefacere iubet ceromatis & faſcijs ob voluens, ita vt reliquo corpore frigidiores non ſint. Cæterum ſcire oportet omnem ventris fluxum à duabus euenire cauſis, nempe à noxa facultatis expultricis aut retentricis. Vbi igitur aluus liquida ab irritata expultrice fit, fluxum aſtringentibus cõpeſcere haud tutum eſt, in morbis præſertim acutis. Cum vero ab imbecillitate retentricis aluus liquida fit, cibo & potu

astringentibus cohibenda est in omni febre & in omni morbo. In colliquantibus igitur febribus ob id quod liquefactio retentricis imbecillitatem magis quam expultricis fortitudinem aut irritationem arguit, non immerito Hip. crassiores sorbitiones frigidiores'que & potus qui sistant vinosiores astringentiores'que ministrare iubet. Quibuscunque igitur in morbis aluus liquida ob retentricis imbecillitatem fiat, astringenti cibo & potu uti oportet. A symptomate potiore quàm a morbo sumpta indicatione. Cum ijs tamē prius experiri oportebit, quæ moderate astringant, non penitus neglecta ea quæ à morbo sumitur indicatione. Iis igitur cibarijs potissime vtemur, quæ læuissimç sint coctionis, & bonum præstent corpori alimentum, parum'que grauent ventriculum. Ob defectū primi, carnes bouinæ nō cōpetunt, ob secundi, lentes, ob tertij, rizum vtile non est. Hepata gallinaceorum satis assa in vino austero infusa non inutilia sunt. Diu tamē in ventriculo immorantur, quapropter assa in vino infusa in sorbitiones dissoluere expediet. Sic enim efficatius retentricem facultatem roborabunt. Succus perdicis satis assç omnia quæ exegimus habet, eo tamen vti cum pane ægrotanti commodius erit. Phasianus similiter optima caro est, & magis nutrit quàm perdix, minus tamen imbecilles particulas roborat. Caro enim phasiani media est inter perdicem & pullam gallinaceam. Quæ nā victus forma & qualitas ijs qui liquefacientibus detinentur febribus conueniat, supra dictū est.

FINIS.

Series literarum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X.

Omnes quaterniones, præter X *duernionem.*



Venetijs, apud hæredes Petri Rauani *& ſocios.*
Menſe Aprilis. M. D. XLIIII.

